3 2044 106 478 514

FL
48.5
A72



Karl Torin

EBERHARDI ROSÉN
M. D. R. Coll. Med. Aſſ. & Med. Pract. Profeſſ. Ord.

OBSERVATIONES BOTANICÆ,

CIRCA
PLANTAS QVASDAM SCANIÆ NON UBIVIS
OBVIAS,
ET
PARTIM QVIDEM IN SVECIA HUCUSQVE
NON DETECTAS.
QVIBUS ACCESSIT
BREVIS DISQVISITIO
DE
STRAGE BOVILLA,
QVOTANNIS IN PASCUIS CHRISTIANSTADII
OBSERVATA.

LONDINI Gothorum.
Ex Officina Directoris, CAROLI GUSTAVI BERLING,
Reg. Acad. CAROL. Typograph.
MDCCXLIX.

Moli 1909
19263

S. C. M. LIBERO BARONI

ALBERTO HALLERO,

Conſiliario Aulico & Archiatro Regio
Med. Anat. Bot. Chir. Profeſſ. Publ. Ord.
Societatt. Regiarum Britannicæ Svecicæ
Et Upſalienſis Sodali
Reipublicæ Bernenſis in ſupremo
Senatu Ducentumviro;

Obſervationes has Botanicas
Halleriano unice, quod præ ſe ferunt
nomine commendabiles
In venerationis teſſeram
Felicia ſimul quævis apprecatus
Dat Dicat & Dedicat

AUCTOR.

*   *
*

Provinciarum Seciæ maxime meridionalis Scania eſt, quam ab exteris undique mare ſejungit; continenti vero adnectunt, Hallandia Smolandia atq; Blekingia. Diverſum vero ejus ſolum eſt & in univerſum quidem in campeſtem atq; ſylveſtem vulgo Scaniam, non male diſtingvunt. Campeſtris autem omnis fere iſta regio eſt, quam verſus orientem & meridiem, mare Balticum; verſus occidentem vero fretum Oereſundenſe, & initia oceani ſeptentrionalis alluunt. Quæ in hoc velut ſemicirculo, mediterranea tellus comprehenditur, altior ſimul & ſylveſtris eſt, multorum pulcherrimorum piſcoſorumque fluviorum ſcaturigo; nec lacuum ſtagnorumque plane expers. Ceterum vero, Cereris luxurians Scania campeſtris eſt, paſcuorum vero ſylveſtris. Quicquid autem ſylveſtris Scaniæ eſt, ex duabus velut montium catenis, tanquam matricibus,

 no

nobis ſaltem videtur derivatum. Ex Oceano enim ſeptentrionali, ſurgentia montis Hallandsâhs dicti, juga; verſus orientem longe porriguntur (norre âſen, tum vocant), montiumque radios Scaniæ, interrupta quamvis ſerie, largiuntur. Ex eodem vero oceano itidem oriundi montes, ab altitudine nomen Kullen, ſortiti aliquantisper procedunt, mox vero in campos explanati, itidem in ſylveſtria juga reſurgunt; quæ, quod meridiei propinqua magis ſint, Södreâſen vocant. Hinc vero multorum montium radii derivantur; qui, quod aliquando deliqueſcant, aliquando vero in oppoſitas plagas divergant, nullo comprehendi ſermone posſunt. Quo propius autem campeſtri Scaniæ appropinquant montes, eo magis ſcopulos exuunt, & colles conſtituunt, totos aratri patientes, & feracis Germaniæ plane ſimiles. Neque enim exiſtimandum erit, Scaniæ ſolum utcunque ſterile & maximam partem arenoſum eſſe; ſed argillam & humum atram, varie inter ſe & cum arena mixtas, plurimam ejus partem conſtituere. Ex meridionali Scaniæ inter maria ſitu, non quidem ſaluberrimum, mitius tamen longe quam exteri putant,

tant, cœlum fuit ſortita; ut Germaniæ ſeptentrionalis provinciis, vix, ac ne vix quidem, quantum experiri licuit, cedat. Raro igitur per hyemes, traha vehi in Scania, ob deliqueſcentes cito nives licet. Hyemes vero noſtras (niſi communis per Europam acrioris frigoris impetus ſit), tolerant, & matureſcunt in hortis, baccæ mororum, juglandes, perſica & armeniaca mala, Cydoniæ & Amygdalæ. Uvæ quidem rarius maturitatem acquirunt perfectam; neque tamen nunquam. Abietes contra, æque quidem difficile per Scaniam meridionalem proveniunt, ac in Uplandia fagi. Quare in hortorum ornamentis, Taxis fere ſemper uti, neceſſum habent Scaniæ hortulani. In hoc igitur ſoli cœlique habitu, non mirum eſt, plures in Scania, quam per reliquam Sveciam, herbarum provenire ſpecies. Quas quidem in Primitiis floræ Scanicæ & in actis quoque Holmienſibus, ante ſex annos recenſuit Cel. D. & Profeſſor J. Leche; in Floram Svecicam vero transtulit Celeb. Archiater Linnæus. Mihi quidem, ad regendas valetudines nobilium Scaniæ ſæpius evocato; gratius nihil fuit, quam eadem quoque opera, hiſtoriam patriæ naturalem, in her-

 bis

bis indagandis rarioribus, utcunque promovere. Tenue autem, quod mihi relictum fuit ſpicilegium, in præſenti Schediasmate trado. Octodecim enim ſpecies ſunt, quas a nemine hucusque, in Svecia obſervatas; per Scaniam ſponte provenire comperimus. Has autem non eo nomine deſcribimus, quod illarum ſingulas, exteris quoque putemus raras; ſed quod apud nos hucusque, nemini fuerint obviæ. Sunt vero, *Verbaſcum* pag. 8. N. 7. *Sium* p. 14. N. 10. *Sium* p. 14. N. 11. *Cepa* p. 18. N. 11. *Tunica* p. 23. N. 16. & pag. 61. N. 56. *Saponaria* p. 24. N. 16. *Antirrhinum* p. 64. N. 60. *Siſymbrium* p. 31. N. 22. *Vicia* p. 36. N. 25. *Lotus* p. 38. N. 26. *Hypochæris* p. 36. N. 28. *Hieracioides* p. 40. N. 31. *Senecio* p. 44. N. 35. *Aſter* p. 49. N. 37. *Helleborine* p. 55. N. 46. *Hypnum* p. 57. N. 47. *Bryum* p. 58. N. 48. *Lichen* p. 58. N. 49. Ex his quidem, Viciam Caſſubicam longe habemus rariſſimam, quod nuspiam niſi in provincia unde nomen ſortita eſt, ſponte provenire obſervata fuit, in hortos Botanicorum inde translata. Poſt hanc Sium minimum Raji collocamus, quod in Anglia Rajus, circa Lutetiam vero obſervavit Vaillantius. Novis quoque per Sveciam plantis, accen-

cenſere potuiſſemus, Caryophyllum flore odoratiſſimo p. 63. N. 57. niſi locus natalis eundem ſub N. 343. Lin. Sv. ſuaderet forte indigitari. Sed varietates quoq; quasdam recenſione non indignas judicavimus: *in quibus*; teſte Ill. Hallero, in Præf. ad Fl. Jen. Rup. *ſi non eadem, quæ in inveniendis novis ſpeciebus laus, labor certe etiam major eſt.* Ex his autem potiores ſunt: *Lithoſpermum*, p. 5. N. 5. *Centaurium* p. 10. N. 8. (quod num vera ſit varietas nec ne, aliorum eſto judicium). *Daucus* pag. 13. N. 9. *Arenaria* p. 29. *Dianthus* p. 61. N. 56. *Palmata* p. 52 N. 43. Sed & alias tandem proponimus plantas, quas ante hac rariſſime per Sveciam obſervaverunt Botanici. In horum cenſum veniunt: *Saxifraga* pag. 25. N. 18. *Lathyrus* p. 35. N. 24. *Orchis* p. 50. N. 42. *Stachys* p. 64 N. 59 & *Androſace* p. 84. De Allio p. 20. N. 12. monemus, folia ejus ſubtus convexa, ſupra plana, adeoque ſemiteretia eſſe, intus vero unico conſtare cavo, adeoque cum Cepa Lin. Sv. 265., excepto germine; congruere. Atque hæc de plantis. Supereſt, ut de ſtrage, quam deſcripſimus bovilla Chriſtianſtadienſi moneamus, præter morem nuperrime deſiiſſe tantisper illam, ex quo ſtrepitus opera-

rariorum, a foſſis munimentorum longius abegerit pecudes, & lacunas aliquot ſtagnantium aquarum, cum foſſis continuas fecit, eorum, qui eidem operi præſunt, induſtria. Ut aquarum ſic potius, quam plantarum vitiis, ſtrages hæc peculiaris pecudum, imputari jure videatur. Quod ſi vero vel de his, vel etiam de plantis, uberius quid olim aut certius innotuerit; quin cum publico communicetur, nulla in nobis mora erit. Hæc tamen interea, quantumcunque fuerint imperfecta, Lectori humaniter cuncta æſtimanti, tradimus dijudicanda.

Poſtquam hæc abſolveramus, allata ad nos arbor fuit, antehac in Svecia non obſervata; quæ eſt:

Acer, foliis tripartito-palmatis, laciniis utrinque emarginatis obtuſis, cortice ſulcato. Lin. Cliff. p. 144, N. 3.

Acer foliis ſemitrilobis, lobis obtuſe inciſis. Hall. Helv. 421.

Acer Tabern. Ic. 973.

Locus Tempus & obſervatio.

Naſcitur in dumetis circa pagum Scaniæ Aggarp, & incolis Naſwer dicitur; cortice ſæpius prædita hexagono arbor, tenerrimos ſi exceperis ramos. Reperit illam, ut appa-ret, ſterilem, & ad nos attulit die 1 Sept. indefeſſus Botanices cultor, Aretin. Ob ſummam ligni duritiem, cochlearia inde ruſtici parant.

Dian-

Diandria Monogynia.

I. *Veronica aquatica anguſtiore folio.* Inſtit. *flore albo.* Celſii Upſ. 43. Vaillant. B. P. p. 202. N. 15. & ejusdem Synonymon.

Anagallis aquatica anguſtifolia Joh. Bauh. III. p. m. 780 (a).

Deſcriptio. CAULE ſurgit gracili, vix duas tertias lineæ ad baſin æquante, altitudine ſæpius pedali, immo vero bipedali, procubiturus fere, niſi ex vicinis plantis ſuſtentaretur. Aliquando minime, aliquando e radice, aliquando etiam e medio caule ex

alis

(a) Icon bona, niſi quod noſtra planta ex medio etiam caule ſæpe ramoſa obſeruetur; & denticulos vel crenulas plerumque in foliis exhibeat, quas icon non exprimit, obſervavit vero etiam cel. Haller in Fl. Helv. p. 527, N. I. in deſcriptione.

alis foliorum ramoſus obſervatur, ramis erectis non longis aut diffuſis. FOLIA ad genicula oppoſita, ſeſcunciam, plus minus, longa; lineas fere binas ad maximam ſui latitudinem æquantia, lineari vel elliptico lanceolata, diſtantibus, minimis ſed evidentibus tamen vel denticulis vel crenulis prædita. PEDUNCUCULI, ex alis foliorum prodeunt communes, aliis pedunculis minoribus alternis inſtructi. Racemi autem eorum perquam ſunt laxi, ad unum plerumq; latus primarii pedunculi diſpoſiti. FLOS minimus candidus, pulchellus, diametro vix lineam ſuperans (a), lacinia infima anguſtiori, punctis tantillum colorata. SILIQVA plana cordata, latior quam longior, fere bilinearis.

Locus & tempus.

Florentem reperimus initio Auguſti, circa prædium Giersnæs, extra angulum horti loco graminoſo, ubi præterlabens hortum fluvius, vicinas ſæpe ripas inundat. Ibidem quoque, *Sparganium* maximum Lin. Sv. N. 770. obſervatum eſt, quod antehac ad arcem Wadſtenenſem vidit Cel. Linnæus.

2. *Veronica aquatica minor. folio oblongo.* Vaillant. B. P. p. 202. N. 14.

Veronica aquatica anguſtiore folio, hirſuta, flore cæruleo. Celſii Upſ. p. 43.

Obſervatio. Vaillantii Synonymon Cel. Haller in Flor. Hel.

(a) Minor omnino in majori hac planta corolla viſa, quam in minori varietate ſub N. 2. deſcripta; quare non mirum, ſi pro diſtincta ſpecie habuerit forte Vaillantius. Omnino enim magnitudine & ramis, a Veronica N. 9. Lin. Sv. videtur recedere; ut innuunt ſaltem ſicca ſpecimina, quæ poſſidemus, Uplandica.

Helv. pag. 527. N. 1. ad veronicam anguſtifoliam refert, ſimul monens minus commodum nomen hoc ipſum eſſe, quod ad varietatem β. Veron. Aquat. Hall. Helv. p. 528. N. 2. potius eſſet referendum. Id quod etiam ſic eſſe debere omnino perſuademur. Videor autem mihi videre, quod hallucinationi huic Vaillantianæ, occaſionem dederit varietas aliqua Veronicæ anguſtifoliæ Lin. Svec. N. 9, qualem ad Chriſtianſtadium reperimus, foliis fere ovato-lanceolatis vel & oblongis, parum denticulatis, caule bi-vel triunciali, floribus ſubcoerulis vel coeruleo violaceis. Quæ quidem veronica ob racemorum & fructus habitum vera fuit Anagallis aquatica anguſtifolia ſcuttelata C. B., quod ſpecimina alia minus a vera ſpecie recedentia, ſatis evidenter docuerunt.

Locus & tempus.

Creſcit ad Chriſtianſtadium, in peninſula Iſternæſet dicta alibique in paſcuis humidis rarius; reperta ſub finem Julii menſis.

Tetrandria Monogynia.

3. Scabioſa major communior hirſuta, folio non laciniato. Lin. Cliff. p. 31. N. 5, lit. δ.

Scabioſa foliis omnibus integris, & Scabioſa integrifolia minor ſeu maculata Gesneri. Hall. Helv. p 670, lit. β.

Scabioſa integrifolia Thalii J. Bauhin. III. p. 3. cum deſcriptione bona. (a).

(a) Confundi hæc non debet, cum alia ſcabioſæ vulgaris varietate, ad Foglesâng ſæpe reperiunda; in qua ita integra folia obſervantur, ut tamen uno alterove dente notentur; ex radicibus, ut videtur, abſciſſæ Scabioſæ vulgaris, vergente æſtate, reviviſcens planta,

Deſcriptio. RADIX teres, fere lignoſa, longa. CAULIS erectus teres, bipedalis; ſimplex, non ramoſus, totus cum foliis hirſutus, pilis albis confertis deorſum vergentibus veſtitus, hinc inde vero maculis minimis nigris & majoribus lividis asperſus, flore terminatus unico. FOLIA oppoſita ex caulis quaſi vagina aliqua orta, petiolata, integerrima, elliptico lanceolata, hirſuta, ſæpius maculata, quinque vel ſex parium. FLOS parum convexus ſquamis & pilis inter floſculos deſtitutus, ſummum caulem terminat, unicus, colore tinctus dilute cœruleo aut purpureo. CALYX communis decem plerumque conſtat foliis latioribus (a) ovato lanceolatis. *Corollulæ*, ut aſſolet, quadrifidæ, earundemque calyx, pappo nuptus breviſſimo. PLACENTA pilo vel pappo albo molli obnupta, planior.

Locus & tempus.

Creſcit binis circiter Londino milliariis verſus meridiem, ad prædiolum Lilla Roſlått dictum, in prato ad marginem ſylvæ fagineæ, ubi legimus ſub finem Julii menſis.

4. *Galium foliis plurimis linearibus, ramis floriferis brevibus* Lin. Svec. N. 116. *Semine monſtroſo, villoſo, ſubaspero.*

Gallium I. Tabern. Ic. 150. *flore luteo.*

Obſervatio. A vulgari, quod citavimus, Galio luteo in Scania non frequentiſſimo, quantum obſervare licuit non differt, niſi quod rami floriferi in imo quo-

(a) Contulimus calycina folia Scabioſæ, Aſterocephali, & ſuccisæ N. 110, 111. & 112 Lin. Sv. obſervavimus ita quidem latiſſima poſſidere Scabioſam, mediæ latitudinis ſuccisam, anguſtiſſima vero aſterocephalum.

quoque caule obſervandi breviores, vixque unciales ſint; geniculi porro fere crebriores & ſuperius tumentes, in planta hac noſtra, quæ pedali major eſt. CAULIS, maxime vero *radix* fruteſcens & lignea omnino, quod tamen etiam de vulgari obtinere, dudum Joh. Bauh. obſervavit. In ſolo ergo SEMINE varietatem quærimus, quod bacca eſt duarum linearum longitudinis, ſubovata, villo albo breviſſimo ſubaſpera; diformis præterea, ſuperficie non rugoſa ut in vulgari ſemine, ſed glanduloſa velut, gemelli nil oſtendens. Intra membranulam villoſam, quæ baccam hanc obducit, pulpa continetur atroviridis, ſaporis herbacei, mucilaginoſi, ſubdulcis; aquam flaueſcente colore tingens.

Locus & tempus.

Creſcit dimidio circiter a diverſorio Wramm milliari, verſus Chriſtianſtadium, ad viam publicam, inter virgulta; reperta circa medium Julii menſis.

Pentandria Monogynia

5. *Lithospermum ſeminibus rugoſis, corollis vix calycem ſuperantibus.* Lin. Sv. N. 152. *floribus cæruleis.*

Anchuſa arvenſis minor facie milii ſolis. Tabern. Ic. 849. bene.

An *Lithospermum arvenſe, floſculis cæruleis, Burſeri.* Act. Lit. Sv. An. 1724. p. 530. & Lin. Differt. de plantis Martino Burſerianis pag. 22? Vix quicquam repugnat.

An *Lithospermum anguſtifolium umbellatum floribus cæruleis* Boccon. C.B. App. Moriſon. Hiſt. Plant. III. p. 447, Tab. XXXI? (a). De-

(a) Specimina noſtræ plantæ minora, triuncialia non ramoſa, foliis vix lineam latis, non longe videntur recedere. Sed repens noſtrum dici vix poteſt.

Deſcriptio. RADIX conica intus alba, extus cortice rubro vel purpuraſcente obducta, fibras ſpargit raras. CAULIS teres, erectus, hiſutus, aſper, a tribus ad novem uncias adſcendens, ramoſus & non ramoſus. FOLIA oblongo lanceolata hirſuta aspera, integra, alterne per caulem ſparſa, ex alis quandoque ramos producentia. Quando ſicca, infra dilutius, ſupra vero ex atro virent. Folia & flores ſuperius in coronam vel umbellam congeruntur. CALYX quinquepartitus, perſiſtens, ſegmentis lineari lanceolatis, piloſis asperis, longitudine corollæ. COROLLA cœrulea monopetala, infundibuliformis, quinquepartita, laciniis ſubrotundis. TUBUS corollulæ cylindraceus, calyce duplo fere brevior virideſcens, faucibus hirſutis. STAMINA quinque corollulæ adnata breuiſſima, antheris ſimplicibus. PISTILLUM unicum, longitudine ſtaminum. GERMEN quadrangulum, ſeminibus conſtans quatuor, aperto calyce contentis.

Locus tempus & Obſerv.

Noluimus negligere recenſionem rariſſimi hujus Lithospermi, quamvis ad Scanicas id ipſum referri plantas nequeat. Provenit autem in Hedenſea, Germaniæ ditionis Svethicæ inſula, ubi legimus ſub initia Maji menſis 1746, vento contrario diutius hic ibidem detenti. Provenit vero copioſe inter frutices, in clivo herbifero ad maris ſinum, qui prædium Hedenſeenſe proxime alluit & Stralſundam reſpicit. Vidimus in eodem Specimine, cœruleos violaceos & albicantes flores. Reperitur quoque ibidem, Triglochin. Lin. Sv. 299. Asparagus 277 (a). Ab-

---

(a) In magna copia & omnino edulis, quamvis aliquam retineat amaritiem coctione non plane delendam.

Abſinthium ſeriphium belgicum 671. (a) Valerianella 32. Alſine littoralis 275. Holoſt. Caryoph. arvenſe Tabern. Ic. p. 233. Statice L.Sv. 253. Orobanche 519. & aliæ plures, quas recenſere non vacat.

6. *Campanula urticæ foliis anguſtis monſtroſa.* Weinman. Phytanth. Tab. 292. lit. c. & *Campanula urticæ foliis monſtroſa*, Ejusdem Ic. Tab. 293. lit. c. Capitula exprimit, neglectis floribus, qui in noſtris quandoque adfuerunt.

Deſcriptio. CAULIS pedalis & bipedalis, anguloſus, ex viridi totus fere purpureus, pilis raris aſperis hiſpidus, ramoſus & non ramoſus; terminatus capitulis foliorum potius quam florum, congeſtorum. FOLIA inferiora petiolata, cordato lanceolata, ſerrata; ſuperiora vel breviſſime petiolata, vel anguſta baſi per caulem ſeſſilia, alterna, ex ellipticis longe lanceolata, ſerrata, nonnunquam vero integra, margine quaſi ciliato, ſubhirſuta vero ſemper vel ſubaſpera. Ex alis foliorum rami plerumque prodeunt breves, capitulis ad apicem & ad in medio ramorum nonnunquam veſtiti. CAPITULA vero iſthæc ſubrotunda, ex paucis, ſæpe & nullis, quantum videre licuit, floribus eorũdemq; calycibus villoſis imperfectis congeruntur; maxime vero ex foliolis aliis latioribus, aliis vero anguſtiſſimis linearibus, hiſpidis vero cunctis aut villoſis, ciliatis quaſi & fere inextricabilibus, perficiuntur. PEDUNCULI vero florales, alii quidem ſingulares, ſemunciales ex alis foliorum rarius exeunt, ut in campanula urticæ foliis

(a) Radix plane fuit lignea minimi digiti craſſitie, folia ex albo virentia ſericea, tomento albo ut in Scanicis fit, non obducta. Odor idem, mari Syriaci gratiſſimus. Ceterum, caulem planta nondum protuſerat.

foliis vulgare eſt; alii vero longe plures, quinque aut ſex, ex capitulis ægre prominent, breviores adeo, ſinguli ſingulos gerentes FLORES cœruleos, campanulatos mediocres. Hos quidem CALYX comprehendit quinquefidus, villoſis ſegmentis vix margine ciliatis, ceterum, mediocriter latis terminatus. STAMINA quinque piſtillo breviora, antheris longiſſimis luteis. PISTILLUM teres ſtaminibus longius, trifidum, apicibus obtuſis.

Locus, tempus & Obſervatio.

Reperimus ad Foglesâng die 12 Auguſti, loco herbifero, cui etiamnum falx pepercerat. Monemus ibidem etiam, quamvis remotius, campanulam urticæ foliis vulgarem alis unifloris, itidem provenire; hanc vero noſtram, habitu, quo diximus, proprio loco abunde ſatis pullulare & ſerius florere. An vere monſtroſa varietas Campanulæ Lin. Sv. N. 181, ulteriori diſquiſitioni ſubjiciemus. *Trachelio majori petræo Ponæ* Joh. Bauh. II. pag. 807 valde utique affinis hæc noſtra videtur, ad campanularum, floribus conglomeratis, familiam, ſemper ſi ſibi conſtiterit, non obſcure referenda.

7. *Verbaſcum foliis ovato acutis, ſubtus villoſis, crenatis, ſpicis laxis lateralibus* Lin. Cliff. 54. N. 2.

Verbaſcum foliis ſerratis, ſuperne rugoſis, petiolis ramoſis, flore albo. Hall. Helv. p. 510. N. 2. lit. β.

Verbaſcum flore albo parvo. Joh. Bauh. III. p. 857. (a)

Ver-

(a) Deſcriptio bona, Icon vero, ut ipſe fatetur, qualiscunque; ſic tamen ut foliorum ſerraturas obſoletas, melius exprimat archetypus Fuchſii p. 847.

Verbaſcum album II. Tabern. Ic. 564. (a)

Verbaſcum floribus plane candidis, odore gratis Tragi. p. 80.

Deſcriptio. CAULIS pedalis & bipedalis anguloſus, inferius purpuraſcens, ſuperius tomento albo tectus; in plerisque ſerrata ubi deſinunt folia, florales ramos plures ſpargens, ſpithamæos & ultra; terminatus rarius ſpica ſimplici. FOLIA ovato lanceolata obſoletius ſerrata, ſuperius obſcure virentia, parum rugoſa, inferius brevi tomento albo, tanquam farina adſperſa. Suprema folia, quæ hinc inde florales ſpicas diſtinguunt elliptico lanceolata integerrima ſunt. Ex horum alis *petioli* exeunt ſemunciales plus minus, albi farinoſi, floresque gerunt plures; pedunculis brevibus propriis innixos, laxius ſpicatos. Verſus apicem floralis ſpica denſior facta, flores gerit faſciculatim congeſtos, tandemque fere ſeſſiles, CALYX quinquefidus, ſegmentis acutis virentibus, reliqua ſui parte tomento albo farinoſo obſitus. COROLLA rotata quinquefida, ſegmentis cunctis plane candidis. STAMINA quinque, villo dilutiſſime flavo, barbata. APICES vel antheræ croceæ vel miniatæ, plane uti deſcribunt J. Bauhinus & Cel. Hallerus. *Odor* floris gratiſſimus, violam martiam quodammodo refert.

Locus tempus & obſervatio.

Creſcit ad prædium Dufeke, quod verſus ſeptentrionem Lundino diſtat tribus cum dimidio milliariis; ſitum in confiniis Scaniæ campeſtris & ſylve-

B ſtris

(a) Florales ſpicas eleganter exprimit, ſed folia in noſtris non pulcre adeo ſerrata.

ſtris. Provenit vero ad muros circa viam ibidem tranſeuntem, ubi reperimus die 25 Junii 1747. Utrum olim ex horto vicino elapſa, ſe ſponte poſtmodum propagaverit; an vere Scaniæ indigena planta ſit, non certius ac de Tulipa Cel. Linnæus in Flora Sv. N. 262, aliisque licebit determinare. Saltem in horto hujus prædii, qui per vigenti & ultra annos incultus jacuerat, nulla ejus veſtigia apparuerunt, cum tamen in eodem *Digitalis* floribus aliis purpureis, aliis vero albis; *Biſtortæ* quoque ſpecies, quam nondum in Scania vidimus, ſponte ſemet per longam annorum ſeriem propagaſſent. Creſcit quoque ibidem ſponte in ſylva verſus Bulstofta *Lonicera* Lin. Sv. 191., quam & ad Sallerup obſervavit Dnus Aretin.

Pentandria Digynia (a).

Centaurium minus pumilum ramoſiſſimum. Lin. It. Oeland. p. 157? ita putamus.

Centaurium minus paluſtre ramoſiſſimum flore purpureo (vel roſeo). Vaillant. Bot. P. p. 32. Tab. VI. fig. 1.

Centaurium minus Valerianæ facie Ruppii Fl. Jen. Hall. pag. 22.

De-

(a) Methodum Cel. Linnæi ſeqvuti, ad digyniam plantam hanc referimus, quamvis non diffiteamur ex rigore methodi potius ad monogyniam referri potuiſſe. Stylo enim cum non careat, ex ſtyli non vero ſtigmatum numero calculus iniri debuiſſet, ſecundum leges Syſtem. nat cel. Linnæi p. 15. Obſervandum autem eſt, quod ſtylus hic pro continuatione ipſius fructus haberi poſſit, ut id ipſum evidentius patet in planta congenere

Deſcriptio. RADIX alba conica parum fibroſa, duriuſcula inſipida. CAULIS bi-vel triuncialis, ab ima radice utrinque ex alis foliorum oppoſitorum ramum emittit, quorum ramorum ſinguli & ipſi in alios binos ramos ſecedunt, mediumque breviſſimum pedunculum uniflorum in medio ſinu fovent, & ſic porro dichotomia finduntur continua. Caulis ceterum fere tetragonus eſt (a) viridis glaber, alis quatuor ſatis productis præditus. FOLIA ad radicem oblonga, obtuſiuſcula, oppoſita, ſeſſilia unius aut duorum parium, antequam in ramos diducatur plantula. Superiora vero folia anguſtiora ſunt, elliptico lanceolata, glabra cuncta & in iſthac varietate non trinervia. Caulem terminant flores erecti, ex ſingulis ramuſculis ſæpius ſinguli. CALYX perſiſtens in 5 ſegmenta tubo corollæ accreta, ſuperius vero libera erecta ſubulata diviſus; angulis quinque vel eminentiis ornatus, totidemque interjectis ſulcis. COROLLA

 mo-

Gentiana N. 202. Flor. Sv. ubi, cum ſtylus fere deſit, ex ſtigmatum numero calculus rite inſtituitur. Sic ergo etiam ex ſtigmatum numero, in hac noſtra calculum etiam fieri debere, analogia ſuadet; ut adeo conſtet ob tantillam hanc diverſitatem, ſpecies quasdam a genere hoc naturali divelli non debuiſſe.

(a) In eo quidem plurimum differt a Centaurio minori vulgari, Fuchſii Icone p. 387 optime expreſſo; quod in agris, requietis mare ſpectantibus ad Fielige collectum, caulem ſæpius habet hexagonum, alis, minus quam in puſillo hoc prominentibus, folia vero etiam evidenter trinervia.

monopetala ad fauces usque quinquefida (a), laciniis elliptico lanceolatis integris, calore patentibus, ſole vero non calente cum ſole imbricatim convolutis. TUBUS corollæ ſtrictus, cum calyce connatus, flavescens, ad baſin germini accretus. STAMINA quinque faucibus corollæ adnata, corolla duplo fere breviora, alba, antheris luteis incumbentibus. GERMEN vel ovarium cylindrico conicum apice gerit STYLUM filiformem flaveſcentem unicum, pericarpio dimidio breviorem, terminatum ſtigmate capitato, obtuſo bifido, ſpongioſo.

Locus tempus & obſervat.

Creſcit inter Lundinum & pagum Fielige, locis depreſſis gramineis, ubi per hyenem aut imbres collectæ aquæ, tanquam per rivulos transfluunt (b). Florentem adhuc reperimus die 7 Septembris. Cum tota amaritie polleat inſigni, vulgari ni ſuperior, ſaltem minime inferior, viribus exiſtimanda erit medicatis.

No-

(a) Varietatem minimam floribus roſeis, ſæpe *quadrifidis* ut de Centaurio paluſtri luteo minimo Vaillant. p. 32. monet; creſcentem una cum Lino Cathartico reperimus, ſub finem Auguſti, inter prædia örtoſta & Ællinge, locis ſubhumidis.

(b) Non valet ergo obſervatio C. Bauh. in Pin. p. 278. ex Theophraſtoqui, in humidis altius excreſcere, in aridis vix duas aut tres uncias æquare, centaurium minus affirmat. Hæc tamen obſervatio, cum aliis differentiis, in cauſſa fuiſſe videtur, cur ex noſtra plantula diſtinctam ſpeciem conſtituerit Ruppius. Hall. Fl. Jen. Rup. p. 22.

Novimus enim pro varietate haberi, nec alio nomine recenſemus. Deſcriptione vero dignam judicavimus, quod icone illam acutiſſ. Vaillantius non grave duxerit ornare.

9. *Daucus ſeminibus hiſpidis* Lin. Sv. 223. *foliis tenuiſſime diviſis, Paſtinacæ inſtar Sylveſtris Daucoidis Apulæ Columnæ.* Moriſon. Hiſt. III. Sect. 9. Tab. X. N. 6.

Deſcriptio. RADIX ſaporis paſtinacæ. CAULIS pallide virens ramoſus, pilis albis non confertis nec rigidis obſitus. FOLIA, qualia icon Moriſoni exhibet tenuiſſima, pinnarum paribus tribus quatuorve, pinnulis vero ipſis tenuiſſime laciniatis. INVOLUCRUM univerſale multifidum, umbella dimidio brevius. UMBELLA magna corollulis candidis, ſatis quoque magnis. SEMINA hiſpida, fere quam in vulgari minora, pilis quoque mollioribus hiſpida.

Locus tempus & Obſervatio.

Creſcit in monticulis editioribus aridis, ad viam publicam, inter diverſorium Tranås & prædium Tunbyholm, quinque circiter cum dimidio milliariis Lundino, verſus orientem; ubi legimus ſub initia Augusti menſis. Poſſidemus inde, quod attulimus ſpecimen, cujus folia & habitus, citatam modo Iconem Moriſoni, perfecte ſatis referunt; & alia quidem propius aliquantum ad Daucum vulgarem accedentia, cujusmodi Iconem foliorum ſuperiorum Dauci vulgaris, in Hiſt. Pl. III. Moriſ. tradit. unde non diſtinctam ſpeciem, ſed vulgaris varietatem, hanc noſtram adhuc pronunciamus. Recenſere autem placuit ob ſemen horum ſpeciminum per excellentiam aromaticum, fere Cardamomi, quale in Dauco ceteroquin per Scani-

niam vulgari nondum offendimus; quare in Pharmacopoliis hæc varietas, ſi in copia haberi poſſet, maxime foret expetenda.

10. *Sium foliis pinnatis, umbellis ex alis fere ſeſſilibus*, Lin. Cliff. p. 98. N. 3.

Sium foliis pinnatis, inferioribus ſimplicibus, ſuperioribus ſemitrilobis, argute ſectis. Hall. Helv. p. 435. N. 2. & Catal. Hort. Gotting. p. 39.

Sium aquaticum procumbens, ad alas floridum. Moriſ. Hiſt. III. p. 283. Sect. 9. Tab. 5. fig. 3.

Obſervatio. Convenit omnino cum deſcriptione, quam in Helv. Flora præſtat Cel. Haller. *Petioli* nempe umbellarum, in noſtris plus minus unciales ſunt. *Involucrum* univerſale 7 vel 8 foliolis fieri latiuſculis, longitudine bilineari, reflexis, itidem obſervavimus, foliolo uno in noſtris trifido, adeoque ut monet Cel. Haller, inciſo. De *partialibus* eadem valent, niſi quod minora & pauciora ſint foliola, 4 nempe vel 5, quorum unicum ſæpe obſervatur bifidum. Semen ejus fortem, ſed nauſeoſum nobis viſum, ſaporem præſtat.

Locus & tempus.

Creſcit extra muros Chriſtianſtadii, in foſſa munimentorum ampliori, ſeptentrionali a templo urbis plaga, ubi legimus ſub finem Julii menſis, una cum *Sio latifolio* N. 235. Lin. Sv. *Oenanthe* N. 236. *Phellandrio* N. 238. *Apio* paluſtri. N. 248. *Aloë paluſtri* N. 444. (quæ tamen nondum floruit) *Myriophyllo* N. 782. *Hydrocotyle* N. 221. *Lepidio* N. 534. aliisque quæ locis vicinis ſæpe pullularunt.

11. *Sium repens, foliis inferioribus fœniculaceis, ſuperioribus lobatis, umbellulis ſæpius dichotomis.*

Sium

Sium minimum foliis imis ferulaceis. Moriſ. Hiſt. III. p. 283. & *Sium aquaticum pumilum, foliis inferne fœniculaceis, ſuperne lobatis*, Ejusdem Sect. 9. Tab. V. fig. ultima (a).

Sium minimum umbellatum foliis variis. Plukenetii Phytogr. Tab. LXI. fig. 3. (b).

Sium minimum Raji. Vaillant. B. P. p. 187.

Deſcriptio. RADICES hinc inde e geniculis caulis ad exortum foliorum inferiorum, capillares terræ immerguntur. CAULIS ad terram arcte repens, illi radicum ope hinc inde affixus; ceterum teres, mollis & maxime flexilis, longe nudus, diſtantibus nempe geniculis, in plures ſui ſimiles diviſus, adeoque ramoſus, peculiari modo, ut retis in modum connati videantur caules, nec ulla arte ob miras implicatiores longe lateque repentium caulium, e terra evelli toti queant. FOLIA *inferiora*, quæ cum extra aquas

(a) Noſtræ plantulæ hæc omnino ſimilima icon eſt. Radicem vero, ſi dubitare modo liceat, in Moriſono fictam eſſe ſuſpicamur, vitio forte pictoris. Nihil enim in picta iſta radice, exceptis fibrillis, radicem eſſe putamus, ſed meram tantum ipſius continuationem caulis. Nobis ſaltem hujusmodi radicem reperire, nullo ſtudio ſucceſſit.

b) Umbellas cum foliis unilaterales pingit, quæ vero in noſtris, e regione foliis opponuntur In foliis porro ſuperioribus, pinnarum 5 & 6 paria facit, quæ in noſtris bina tantum obſervantur, ut optime expreſſit Moriſon Umbellulas vero generales dichotomas, particulares vero tetra-vel pentaſpermas optime pingit, ut & radiculas ad genicula caulis.

quas (a) plantulam offenderemus emarcida erant, a radiculis ægre diſtingvuntur, niſi vaginalis eorundem ut in umbelliferis fit exortus, folia eſſe argueret. Pinnata vero hæc folia ſunt, ex foliolis filiformibus tenuiſſimis varie diviſis, conflata. *Superiora* vero folia ad fines ramorum procumbentium, ex vaginis obſoletis itidem alterne orta pinnata ſunt, pinnarum paribus binis, cum extrema impari, maxima. Pinnulæ trifidæ ſunt vel tridentatæ, ſimiliter quoque extrema impar. Ex *alis* filiorum, oppoſito tamen tractu, petioli longitudine trium quatuorve linearum ad angulos a caule fere rectos, exeunt, gerentes umbellulam vel ſimplicem vel dichotomam (b) radiis valde divaricatis. *Particularis* umbellula trium, quatuor aut quinque eſt radiorum breviſſimorum, linearium, quorum ſinguli ſingulos ſuſtinent flores fere ſeſſiles viſos. INVOLUCRUM *univerſale* nullum. *Particulare* vel unico conſtat folio latiuſculo, elliptico lanceolato erecto, vel binis adhuc aliis minoribus adjunctis, itidem erectis. COROLLULÆ petalis quinque conſtant, ellipticis, æqualibus, albis. STAMINA quinque corollæ æqualia, antheris fuſcis (c). STYLI duo, non niſi

(a) Plantulam extra aquas naſcentem, integris cunctis foliis, fœniculaceis vero nullis naſci Vaillant. loco cit. affirmat. Revera tamen in plerisque noſtrorum ſpeciminum fœniculacea folia, quamvis emarcida & ægre adeo animadvertenda, aderant.

(b) Tribus vel quatuor radiis nunquam offendimus, quod rarius fieri citato loco Moriſon innuit.

(c) Purpureas ſummitates in Pariſienſibus Vaillant. dicit, quod eodem videtur recidere.

niſi increſcente germine, & ægre tum quidem, obſervandi. GERMEN, ſecundum longitudinem ſtriatum, aut verius, ſulcatum; ex binis quaſi cylindrulis coalitis compoſitum, perficiens SEMINA planiuſcula oblonga ut de germine dictum, ſulcata, ſtriis nullis transverſis; glabra, bipartibilia, violaceo ſpadicea, obtuſo fine, longitudine ſeſquilineari aut bilineari; latitudine vix lineari (a), adeoque pro ratione plantulæ, Moriſono etiam monente, ſatis obſervantur magna. Guſtata ſemina, ſaporem radicis pimpinellæ albæ fortiſſimum exhibent; folia vero non adeo evidenti ſapore pollent.

Locus tempus & Obſervatio.

Reperimus in humidis & lutoſis, ad ripam maximi per Scaniam fluvii, Helge â dicti, in peninſula paſcuorum Chriſtianſtadii Iſternæſet dicta; ubi floret & ſemina perficit circa medium Julii menſis. Affinitatem in fructificatione, proximam cicutæ venenatæ, botanici facile vident, & inſignem venenatæ indolis ſuſpicionem in hanc quoq; conjicimus, quod ſæpe adeo

C hic

(a) Ex Iconibus ſeminum Plant. umbell. Moriſ. quantum nempe ex iconibus inque iis expreſſa magnitudine & figura judicare licebit; proxime videtur accedere ad ſemen Cicutæ paluſtris 91 & 92. Sed noſtræ plantulæ majus eſt, ut fere æmuletur magnitudinem ſeminis ſeſelis Æthiop. fruticis, ſub litera T t, & 87, 88 ibi propoſiti; cui etiam ob longitudinem cylindricam ſtriasque, plane obſervatur ſimile; exceptis rudimentis piſtillorum, quæ in noſtro maturo, neutiquam apparent.

hic pereant boves & vaccæ, ex morbo quotannis paſcua Chriſtianſtadienſia infamante.

Hexandria Monogynia.

11. *Cepa capitulo bulboſo prolifero, foliis ſemiteretibus* Lin. Sv. 265. germine æqualiter hexagono.

Allium bicorne proliferum, flore intus albeſcente, cum ſtria purpuraſcente externe Joh. Bauh. II. p. 560. an?

Allium montanum bicorne, flore exalbido. Moris. II. Sect. 4. p 385. N. 2. an? Nec figura nec deſcriptio, longe recedunt.

Allium ſylveſtre bicorne minus, Burſeri. Rudbeck. Elyſ. T. II. p. 154, an? Icon ſaltem ex omnibus maxime commoda, præterquam quod in ea ſpathæ deſint & folia infima oppoſita pingat.

Deſcriptio. BULBUS, tunicis aliquot albicantibus obductus, ſolidus, ſubrotundus vel oblongus, magnitudine nucis corylinæ & ultra; ad baſin demergit faſciculum filamentorum albidorum. Squamæ bulbi extimæ per CULMUM, qui pedalis eſt continuantur, & vaginas culmi conſtituunt. Culmus hic ad dimidias vaginulis hiſce obducitur, quæ teretes ſunt, per longitudinem ſtriatæ, ſcabræ, albicantes. Poſtquam vero folia a caule receſſerunt, tum culmus adeſt nudus teres non ſtriatus, glaber, virideſcens, aliquantum fiſtuloſus. FOLIA alterna, vaginantia, linearia, fine ut videtur, obtuſo, in noſtris ſpeciminibus perpetuo tria, ſeſquipalmari longitudine, latitudine vero lineari. Quæ ut a culmo ſecedunt, infe-

ferius ſemiteretia ſunt, leniter per longitudinem ſtriata, glabra tamen; Superius vero ſulco exarata profundo, ad longitudinem fere unciarum duarum Hic vero ſulcus, cujus uterq; margo denticulis minimis Scaber obſervatur, folium quaſi carinatum facit, ita tamen, ut utrinque fiſtuloſum folium ſit, in duo cava diviſum, quæ ſeſcunciam per folium continuantur, & ob emarcida folia rarius deteguntur. Evaneſcunt autem mox hæc cava, folio complanato & quaſi exarido. SPATHA, ſeu vagina diphylla, ex foliis ovatis concavis, caput comprehendit. Terminantur vero vaginæ hæ, ſetis ſeſqui-aut biuncialibus emarcidis, quæ ad apicem vaginarum ex nervis quaſi collectæ, breviores ſemper in alterutra vagina obſervantur. CAPUT convexum, ex congeſtis multis bulbillis, ſubrotundis, utrinque acuminatis non crinitis, membrana tenui ſplendente ex albo purpuraſcente obductis. Bulbilli hi magnitudine hordei vel tritici granum æquant, & ſapore nauſeoſo alliaceo guſtantem afficiunt. FLORES, inter bulbillos prodeunt pauci admodum, tres vel quinque, ex ſingulis pedunculis uncialibus, filiformibus, erectis, tremulis, purpuraſcentibus, ſinguli. COROLLA erecta; cylindrico campanulata, petalis conſtans ſex erectis æqualibus, ad baſin concretis, circa medium pauxillum divaricatis; carinatis ſubalbidis, limbo purpuraſcente, carina vero magis fuſca, purpurea. STAMINA ſex ſubulata, ſimplicia ad baſin latiora, vix tamen connata, corollæ æqualia, ex baſi ſingulorum petalorum ſingula exorta, aliquando verſus piſtillum inclinata, dilute purpuraſcentia; *antheris* incumbentibus flaveſcentibus. GERMEN vel fructus,

coloris lutei, hexagono cylindricus, ſex nempe ſulcis æqualibus diſtinctus, totidemque eminentiis ad apicem terminatus. STYLUS, ſtaminibus fere æqualis, teres albus, apice quaſi reſecto.

Locus & tempus.

Reperi die 11 Auguſti, in clivo, inter frutices ad pagum Fogelsâng, dimidium milliaris Lundino diſtantem.

12. *Allium ſtaminibus ſimplicibus, umbella bulbifera, vagina bicorni, foliis carinatis.* Haller de Allio p. 51. N. 24. lit. β.

Allium montanum bicorne, floribus purpuraſcentibus. Rudbeck. Elyſ. T. II. p. 160. Icon bona niſi, quod folia in noſtris ſæpius patula.

Allium montanum bicorne anguſtifolium, flore purpureo Moris. II. Sect. 4. p. 386. N. 5. Tab. XIV. fig. 5. bene.

Deſcriptio. BULBUS (a) ut in præcedenti. CULMUS

(a) Squamæ, quæ bulbum ambiunt, circa apicem collectæ, culmum vaginarum inſtar veſtiunt; usque dum aliæ poſt alias in folia degenerantes, a culmo ſecedant. Culmus vero ipſe, qui ex apice bulbi oriri videtur, ex baſi bulbi ubi radicum filamenta prodeunt, oritur, inter ſolidum bulbum ejusque extimas tunicas ad latus ſerpens, ſic tandem ex apice erigitur; veſtitus ſquamis, quæ quidem ipſæ in folia abeuntes, culmum iterum circa medium deſerunt. En analogiam aliquam inter regnum animale & vegetabile! Nervi ex cerebro mox egreſſi, dura matre non velantur, ſed nudi tantisper pia matre cincti porriguntur. Calvariæ vero foramina ſubeuntes, dura matre tandem veſtiuntur; eandem depoſituri, quamprimum ſenſationem producere acutiorem debeant.

MUS bipedalis, infra ſolidus, ſuperius evidenter fiſtuloſus. FOLIA, decem uncias longa, vix ultra lineam lata, non niſi emarcida in ominibus ſpeciminibus offendimus. Binæ foliorum tertiæ partes evidenter planæ, culmo vero quæ propior pars, magis convoluta apparet, macerato vero folio facile explananda. Nihil ut in præcedentis folio, obſervare fiſtuloſi licuit. SPATHA alterutra ad quatuor unciarum longitudinem porrecta, altera brevior. Sæpe fiſſæ Spathæ ſunt, ut pulcre icon Halleri exprimit. *Bulbilli*, ut in priori. Pedunculi, qui flores ſuſtinent, inter bulbillos albicant, craſſiores; extra eos porrecti, graciliores purpuraſcentes, toti ſeſcunciales. FLORES, quam in antecedenti longe plures, undecim, quindecim &c. dilutius purpurei & fere roſei, vix nutantes. GERMEN & cetera, ut in priori.

Locus, tempus & Obſervatio.

Creſcit inter frutices & dumeta, eodem loco ac tempore cum Galio N. 4. p. 4. deſcripto. Apellabant ruſtici, Gâll-Lök. An non præcedens N. II. hujus varietas parva? Folia quæ ex bulbis germinantibus exſpectamus, dubium explanabunt.

13. *Porrum capitulo bulboſo erecto, foliis planis ſubcrenatis, vaginis ancipitibus* Lin. Sv. N. 266.

Allium ſtaminibus alterne trifidis, capite bulbifero, foliis gramineis leviter ſerratis. Haller de Allio p. 10. N. 3.

Locus & tempus.

Circa Fogelſâng & Helſingburgum dudum reperit Cel. Profeſſ. Leche; attulit vero etiam ad nos Dnus Aretin, qui reperit circa fodinas Andrarumenſes.

14.

14. *Anthericum foliis planis, corollis planis deciduis.* Lin. Sv. 277.

Phalangium quibusdam parvo flore, ramoſius. Joh. Bauh. II. p. 635.

Locus & tempus.

Reperimus circa medium Julii, in arenis ipſius viæ publicæ, inter Wramm & Wä, verſus Chriſtianſtadium; locis, ubi ob ſabuli copiam, latiſſima obſervatur via publica.

Octandria Monogynia.

15 *Vitis idæa paluſtris, foliis majoribus acutis.* Menzel. Hall. Helv. p. 413. N. 1. lit. β. varietas eſt, ſub *vaccinio* N. 315. Lin. Sv. comprehendenda.

Deſcriptio. CAULIS cubitalis & ultra, longiſſime repit, fibrasque crebras in terram demittit; ſurculos vero ad angulos ſæpius rectos erigit, quatuor & quinque unciarum; habitu a Linnæa non diſſimili. FOLIA in varietate latifolia tres, in anguſtifolia quatuor lineas longa, binas lata obſervantur; in priori folia etiam ſæpe, non obſcure conſpiciuntur cordata. BACCA acu explorata, diametrum quatuor linearum explet.

Locus, tempus & Obſervatio.

Reperimus baccas maturas & adhuc integras, die 20 Decembris, in palude Kongakiärr dicta, quæ verticem occupat celſiſſimi, ut putamus, per Scaniam montis Hallandsâhs dicti; trans lacum ad prædium Röſiöholm. Vulgatius autem idem vaccinium, non procul Lundino florens legimus, circa medium Maji ad

ad Sölfåkra, in paludibus trans piſcinas. Baccis hujus herbæ, maxime delectantur urogalli vel tetraones majores; quare venatores, circa paludes harum baccarum feraces, ſæpius illis norunt inſidiari.

Decandria Digynia.

16. *Tunica anguſtifolia procumbens, petalis ſerratis.* Hall. Helv. p. 382. N. 7.

An *Betonica coronaria ſylveſtris, flore ſimplici laciniato rubro.* Joh. Bauh. III. p. 328? Ita icon, præcipue quod ad florem attinet, commode ſuadet.

Deſcriptio. Hoc nomine proponimus *Dianthum*, a Diantho Lin. S. 342., quantum conſtat, diverſum; cujus CAULES bi-vel triunciales ſunt, ſemprojecti, inferiori nempe parte in terram procumbentes, circa medium vero erecti, adeoque ſæpius incurvi, geniculati præterea, ut aſſolet; non ramoſi, niſi forte ex radice. FOLIA conjugata, erecta, anguſta linearia, fine obtuſiuſculo, internodiis plerumque longiora, ſæpe unum latus reſpicientia obſervantur; dimidium lineæ plus minus lata, tres ad ſex usque lineas longa, rigidula, lætius, quam in N. 342 Lin. Sv., virentia. Circa apicem, caulis fere dichotomia terminatur, capitulis nempe binis erectis, vel uno perfecto, altero imperfecto; pedunculis tamen ſæpe longitudine calycis, ut de Diantho N. 342. Lin. Sv. in Horto Cliffortiano notatur. CALYCIS ſquamæ, quales Dianthi ſæpius laudati. PETALA quinque patula, limbo plano ſerrato, lineam lato, ex eleganti rubro, roſea, maculis pauciſſimis purpureis ſaturatioribus, circa faucis

cis initium, tincta; neutiquam hirſuta. STYLI duo, tanquam cornicula inter petala prominent, lanugine obſita, ſæpiusque incurva.

Locus tempus & obſervatio.

Reperimus ſub initia Auguſti menſis, ſolo arenoſo ſicciori, media fere via inter diverſoria Dahlby & Siöbo. Provenit ibidem, cum *Oreoſelino* Lin. Sv. 228 & *Veronica ſpicata* N. 7. Veronicæ autem hic naſcentis, varietas una *ſimplici ſpica*, apud Vaillant. B. P. Tab. XXXII. fig 4., optime exprimitur; altera vero, *ſpicis multis* 3 ad 6, apud Tabernæm. Icone 383, dummodo folia acuta non pinxerat, ſatis egregie habetur.

16. *Saponaria foliis ovato lanceolatis, calycibus cylindraceis.* Lin. Cliff. p. 165. N. 1. flore luxuriante, multiplicato, ſubpleno (a).

Saponaria foliis trinerviis, floribus umbellatis. Hall. Helv. p. 378. N. 2. flore pleno.

Saponaria, lanaria, Pſeudoſtruthium. Tabern. Ic. 738.

Saponaria. Hort. Aichſt. Æſtiv. ord. IX. fol. 12. fig. I. Pro umbella flore ſimplici deſignanda, bene.

Obſervat. FOLIA elliptico lanceolata, trinervia. CALYX ob multiplicatum florem, magis ventricoſus. PETALA alba, 10 & ultra. STAMINA, alias plura, alias pauciora. STYLI, præter morem, ſæpiſſime tres, rarius bini, altero tum fere duplo craſſiori. Inter pharmaceuticas referri herbas debet.

Locus & tempus.

Reperimus die 14 Auguſti, prope templum Hæddinge

(a) Sequimur nempe regulas a Cel. Linnæo datas, in fundam. Bot. §§. 184. &c.

dinge Kyrkia dictum, ubi in muro quotannis copioſe provenit; inde jam tum ante 16 annos in hortum cultiſſimum Toppeladugârdenſem invecta. Vidimus quoque trans fluvium Löddeſtröm dictum, circa Wadmöllan ad tugurium, ubi verſus prædium Næs itur. Eandem etiam in muris Lundini Lectam, ad nos prior attulit Med St. Aretin, eodem habitu ac ſupra deſcripſimus. Vix tamen adhuc crediderim vere indigenam eſſe.

18. *Saxifraga, foliis linearibus alternis, ciliatis.* Lin. Sv. 358. caule ſubunifloro.

Saxifraga petalis latiſſimis luteis lineatis. Hall. Helv. p. 399. Tab. VIII. (a).

Deſcriptio. (b) RADIX perennis e fuſco nigricans, fere

D

(a) Magnitudo & figura floris, exacte iconi reſpondet. Quod ſi huic addideris Breynianam: *Saxifragæ anguſtifoliæ autumnalis, flore luteo guttato,* Breynnii Cent. I. p. 104. Tab. 48, qui ſtigmata petalorum guttata & lanuginem pedunculorum caulisque infimi, penitiſſime adumbrat; vix quicquam a noſtra planta diſtabit; niſi quod folia in hac ſæpius conferta magis, breviora & tantillum latiora obſerventur. Neque tamen auſim certo dicere, Halleri plantam, cum noſtra eandem eſſe; quum petala concolora dicat. Video enim in plurimis, quæ ex noſtris poſſideo, ſpeciminibus, petalorum guttatum crocum, ne in ſiccis quidem plantis obliterari. Quare igitur ea de re, ipſe certius judicabit cel. Auctor.

(b) Poſt icones datas nitidiſſimas, & evidentem Breynii deſcriptionem, vix e re foret, novam præſtare. Quia

ſere horizontalis, teres; ſeſcunciam, plus minus longa, duas tertias lineæ craſſa, plurimas undique edens fibrillas filiformes, ramoſiſſimas. Hæ fibrillæ e terra extractæ nigricant, in aqua vero maceratæ albeſcunt, maculis tum nigris hinc inde diſtinctæ, ſaporis fere expertes. Ubi e terra emergit radix, ſquamis tegitur fuſcis obſoletis, ferrea rubigine tomenti inſtar nuptis, ſimulque ſtolones, futuræ, vix tamen perficiendæ herbæ, rudimenta edit ſæpius. CAULIS ſimplex, nunquam, quod vidimus, ramoſus; aliquando erectus, aliquando inferiori parte procumbit, circa medium vero erigitur; ſæpius trium quatuorve, rarius ſeptem unciarum longitudine; fere teres, modice fragilis, glaber niſi in ſummitate, ubi pedunculi vice functus, lanugine rubiginoſa denſiſſima tegitur. Sæpius totus rubet, aliquando vero pars erecta herbacei coloris eſt, dum portio inferior procumbens rubeat. FOLIA alterne ſparſa, ſæpius conferta admodum caulem occultantia, quandoque rariora. Quæ ad radicem & ſtolones obſervantur, petiolata ſunt, illa quidem elliptico lanceolata, hæc vero magis ovalia & fere obverſe ovata; quamvis & hoc minus conſtans obſervetur. Attamen radicalia folia, petiolum cum habeant fere uncialem, nihilominus eriguntur. Ad caulē quæ ſunt folia, ſesſilia fere cum nodulo & erecta ſunt, ſæpius elliptico, rarius lineari lanceolata, utcunque gla-

---

autem Breynio nondum viſo, deſcriptionem concinnaveram, & aliqua nondum obſervata, minutius proſecutus fui, chartis minime judicaui parcendum.

glabra (a) virentia (b) ſuperne magis, inferne minus, firmula & craſſiuſcula, a tribus ad ſeptem lineas longa; ab una ad duas usque lata; margine integerrimo non ſpinoſo, & ne quidem in his, niſi penitius attenderis, ciliato (c); apice, in modum papillulæ, obtuſiuſculo. PEDUNCULUS, ipſius eſt continuatio caulis uniflori. Rarius enim duarum linearum, a ſupremo flore, diſtantia, brevis vix bilinearis exit pedunculus, proprio & oblique collocato flore donatus (d). Extremum pedunculi intumeſcit in hemiſphæ-

(a) Lente vel microſcopio vulgari luſtrata recentia folia; papillulis minimis, jucundo ſpectaculo eleganter & æqualiter tota conſpiciuntur obſita; (chagrin, Galli vocant).

(b) In ſicca planta folia plerumque ſubruſa evadunt, & virorem perdunt. In foliis recentibus nervoſi nihil apparet, ne quidem ſubtus, niſi microſcopio forte obſcuriſſima aliqua eorum rudimenta appareant, inter papillulas eleganti & velut lineari ordine diſpoſitas. In emarcidis vero, poſtque maceratis foliis, evidentiſſimi apparent nervi, quorum alii e medio maximo nervo oriuntur, alii vero ex ipſo quaſi petiolo, dum adeſt, continuantur, parallelo quodammodo cum reliquis tractu, rarisque anaſtomoſibus.

(c) Duo, tres, & ad ſummum 6 pili, quovis fere capillitio tenuiores, ſæpe tamen longitudine bilineari, in margine folii cujusvis, vel oculo nudo vel microſcopio deteguntur.

(d) In plantis, quæ a caule unifloro nomen ſortiuntur, non infrequens eſt, binos quandoque adeſſe flores. Exempli loco ſint, Cirſium helenii folio, Lin. Sv. 657, & Scorzonera N. 647. Adeo quidem natura multiformis, limitibus coërceri certis ſæpe recuſat!

ſphærium, quod origo eſt CALYCIS. Oriuntur enim inde quinque folia vel ſegmenta, petalis triplo vel quadruplo breviora, perſiſtentia, per maturitatem vero reflexa, ceterum erecta, apice non acuto, concava, virentia; margine fere dilutius flavo colorato, lanugine ferruginei coloris, ſubtiliſſima, nupto. COROLLA roſacea, petalis quinque erectis, parum patulis, ovalibus, limbo integerrimo, obtuſo cum acumine, ungue breviſſimo. Quodvis petalum quatuor lineas longum, binas obſervatur latum, ad cujus baſin propius ad latera, exſurgunt lineolæ binæ prominentes, quæ terminantur in totidem apices breviſſimos acutos, petalo concoloros, in diſtincto petalo pulcherrime a Breynio expreſſos. Lutei porro coloris petala ſunt, a baſi ad dimidias, maculis vel punctis plurimis croceis elegantiſſimis, adſperſa. STAMINA decem, plana ſubulata, inæqualis longitudinis, corolla vero breviora, ad baſin germinis exſurgunt, ex pallido flava, terminata ANTHERIS incumbentibus, ſubrotundis, didymis flavis; ſtria media minima crocea. GERMEN ovatum pallido flavum vel ſubvirens, terminatum STYLO duplici breviſſimo, connivente ſubacuto. PERICARPIUM, capſula ſubovata, longiuſcula tamen, ſic, ut matura petalorum longitudinem æquet; membranacea, quandoque pellucens, ex flavo vel pallido virens, ad apicem bifida vel bicornis, terminata roſtris breviſſimis divaricatis, circumcincta vero ſtaminibus non deciduis. Biloculare de cetero pericarpium eſt, verticaliter in duo loculamenta divíſum, per maturitatem inter apices vel roſtra dehiſcens ac fiſſum, ſic, ut ex utroque loculo exitus pateat

SE-

SEMINIBUS, quæ numeroſa ſunt, rotundo ovata, ſemen ſinapis magnitudine vix ſuperantia, rufa. Flos & herba tota, exceptis forte radicibus, ex herbaceo *ſapore* ſatis amaricat ſubadſtingens; obſervante etiam Breynio.

Locus & tempus.

Plantulam hanc ſemel antehac e Smolandia, per Lib. Baronem A. H. Wrangel, Cel. Linnæo miſſam, quam raram cel. Linnæus, rariſſimam cel. Haller vocat; inter prædium Skaberſiögård & lilla Roslätt legimus, in prato perhumido, ſub initia Septembris menſis.

Decandria Trigynia.

19. *Arenaria foliis linearibus, longitudine internodiorum.* Lin. Sv. 376. lit. β. flore albo.

Arenaria maritima. Lin It. WeſterGoth. p. 148.

Deſcriptio. Radix aliquot truncis albis conicis nititur, qui plurimis fibrillis obſervantur ramoſi. CAULES ramoſi quincunciales & ultra. FOLIA ſubteretia, bina oppoſita, non verticillata, ſucculenta ſubſalſa, 8 linearum, plus minus; ex nodis caulium, e ſtipularum ſinu egreſſa. STIPULÆ albicantes, vel integræ vel laceræ; nodos caulium ambiunt. CALYX pentaphyllus, perſiſtens, erectus, concavus, connivens, petala quibus longior eſt, plane abſcondens comprehendit; tantillum hirſutus, circa baſin fere cujusvis ſegmenti, puncto fuſco, acus minoris caput vix æquante notatus (a). Petala 5 inte-

---

(a) Idem quoque cel. Lin. in It. W. Goth. p. 148. obſerva-

tegra elliptica, calyce breviora, alba; fructu etiam maturo, ſæpius adhuc a rigidulo calyce retenta (a). STAMINA tria (b) petalis breviora, antheris flavis. GERMEN ovatum. STYLI tres. PERICARPIUM fere pellucidum, ovatum, uniloculare, apice trifariam dehiſcens. SEMINA minima, planiora, utcunque ſemilunata, fuſca.

Locus & tempus.

Reperimus in margine arenoſo foſſæ, arcis Landscoronienſis, mare ſpectantis, circa finem Septembris, ubi provenit cum *Tripolio* N. 697. Lin. Sv. & *Apio* 248. aliisque.

Polyandria Polygynia.

20. *Ranunculus ſeminibus aculeatis, foliis ſuperioribus decompoſitis linearibus.* Lin. Sv. 470.

Ranunculi hortenſis ſimplicis prima ſpecies. Fuchſ. Ic. 157. optime.

Lo-

---

vit. Atque ideo etiam plantam noſtram deſcribimus, quo judicet Laudatus Auctor, an quicquam a ſua differat.

(a) Idem de Alſine glabra verna, Vaillant. B. P. pag. 6. obſervat.

(b) Rarius utique in hac familia, tria ſtamina obſervantur, neque tamen nunquam, teſte etiam de Alſine verna glabra, floribus umbell. Albis, Vaill. B. P. p. 7. N. 4. Si vero conſideremus, Vaill. plantam menſe Febr. & Martio &c. lectam fuiſſe; noſtram vero ingruente jam autumno; e re utique erit conſideraſſe obſervat. Linnæi in Fl. Sv. N. 369. de Alſine, Subindicat enim,

Locus & tempus.

In Gotlandia reperit cel. Linnæus. Apud nos vero copioſe creſcit, in agris requietis prædii öhrtofta, & inter ſegetes ad Håslöf, ubi Junio ac Julio florentem obſervavimus. In graminoſis hortorum Lundenſium ſponte quoque naſcentem legit Med. St. Giſtrèn.

Didynamia Angioſpermia.

21. *Pedicularis caule ramoſo, calycibus angulatis glabris, corollæ labio, macula cordiformi notato.* Lin. It. W. Goth. p. 40.

Pedicularis, quibusdam criſta Galli, flore rubro & albo. Joh. Bauh. III. p. 437. bene.

Locus & tempus.

In Smolandia, Lapponia & WeſterGothia obſervavit cel. Lin. Fl. Sv. 504. & It. W. Goth. p. 39. 228. Apud nos non infrequens eſt in pratis muſcoſis humidis v. g. ad Sularp, non procul Lundino, ubi Auguſto menſe florentem legimus. Ægre autem pumila planta e muſcis eminet, difficulter ideo obſervanda, niſi eandem proderet flos pulchellus, ex rubro roſeus.

Tetradynamia Siliquoſa.

22. *Siſymbrium foliis pinnatis, foliolis Lanceolatis ſerratis.* Lin. Cliffor. p. 336. N. 2.

Si-

---

media æſtate dum viget, non dum ex anni tempore languet magis planta, numerari ſtamina debere.

Siſymbrium pinnis profunde ſerratis. Hall. Helv. p. 548. N. 4. cum deſcriptione.

Eruca ſylveſtris. Fuchs. Ic. 263. & Joh. Bauh. II. p. 866.

Eruca paluſtris minor. Tabern. Ic. 447.

Deſcriptio. RADIX teres carnoſa, fibroſa, alba. CAULIS in varietate, quam exprimit Tabern. icon, plerumque procumbens, ſemipedalis & pedalis, admodum ramoſus, anguloſus, viridis. In ſpecimine Fuchſii iconem referente, erectum ſemper vidimus. FOLIA ad ramornm exortum ſingula, ſæpius petiolata, pinnis plerumque alternis, rarius oppoſitis. Pinnulæ perquam ſunt graciles, foliolis conſtantes lanceolatis, profunde ſerratis, rarius integris; diſſitis præterea, extrema impari ſæpius majori, ſerrata. Caulis & rami terminantur *ſpica florali*, quæ conſit ex floribus alternis ſparſis. Flores ex pedunculo ſemunciali erecto, ſinguli prodeunt *cruciformes.* CALYX tetraphyllus, foliolis conſtat cum corolla concoloris, concavis, ovato oblongis, caducis, ad baſin non gibbis, patulis, corolla duplo brevioribus. COROLLA petalis conſtat quatuor flavis, parum reflexis, obverſe ovatis, ungue brevi, fere gracili, limbo integro. STAMINA ſex, quorum duo oppoſita breviora ſunt, reliqua vero longiora quidem, ſed corolla & ipſa, aliquantum breviora, flaveſcentia. ANTHERÆ oblongæ, ſimplices flavæ. PISTILLUM, germen teretiuſculum, ex viridi flavum. STYLUS, linea fere brevior. *Stigma* capitatum, ſubrotundo obtuſum, margine dilutius flavo. Piſtillum cum ſtylo & ſtigmate, ſtaminibus æquale. SILIQVÆ verſus cau-

caulem plerumque inflexæ, ut ipſi fere parallelæ evadant; pedunculo cui inſident, in nondum maturis breviores, in maturis fere æquales, ex teretibus aliquantum compreſſæ; bivalves de cetero & biloculares, placenta diſtinctæ intermedia, ad quam duplici ſerie, affixa utrinque SEMINA hærent parva, ſubrotunda, rufa.

Locus, tempus & Obſervatio.

E pratis humidis, circa Lundinum lectum, ad nos attulit Med. St. Aretin, cujus ſpecimina Tabern. icone pulchre adumbrantur. Legimus vero nos menſe Junio, in foſſis ſiccioribus inter öhrtofta & Widarp, nec non extra ſuburbium Malmogiæ Sönner Wærn dictum, ad viam publicam itidem in foſſis; ſpeciminibus vero, icone Fuchſii & Bauh. bene expreſſis.

23. *Raphanus ſiliquis ovatis angulatis monoſpermis.* Lin. Sv. 569.

Cakile maritima anguſtiori folio. Tourn. Lin. Cliffort. p. 340. N. 3.


Eruca maritima Italica, ſiliqua haſtæ cuſpidi ſimili. Bauh. Pin. 99. (a).

E *Ca-*

(a) Didicimus in hac ipſa planta, quanti fieri debeant nomina, ex *ſenſibili qualitate* plantæ petita; quæ, in de *minuendis Plant. generibus* adeo commendat Cel. Prof. Lipſienſis Ludwig, & promiſerat quoque, fatis præreptus Vaillant., teſte Boerhavio in præfatione ad Bot. Par. laudati Vaillantii. Cum enim diutius, in determinandis præciſe genere & ſpecie hujus plantæ hæreremus; lecto tantum Bauhiniano nomine, nihil ultra de planta hac dubii ſuperfuit.

Cakile quibusdam, aliis Eruca marina & raphanus marinus. I. Bauh. II. p. 867. figura prima.

Deſcriptio. RADIX quincuncialis, conica, durior, parum fibroſa, alba. CAULIS itidem quincuncialis, pallide virens, teres, ſed ut hypericum, aliquot vel ut angulis notatus; ex inferiori potiſſimum parte, ramoſus. FOLIA rara, ut caulis ſatis appareat nudus; vel ad ortum ramorum, vel & alibi temere per caulem ſparſa, petiolata, pinnata, paribus pinnarum binis ad quinq;; pinnis ut in foliis ſedi albi, teretibus ſucculentis; coſta vero, unde prodeunt, magis toroſa, a tereti plana. Flores ab imo caule in longam ſpicam diſpoſiti, ſuperius magis conferti; alterne ſparſi, pedunculo nixi breviſſimo; numeroſiſſimi præterea, 60 & ultra. COROLLA ex albo purpuraſcens, omni fere nota Cardaminen 559 Lin. Sv., quæ primo vere provenit, referens, petalis ovato oblongis. Flores plerique abortiunt unde rarior fructus. SILIQVA haſtiformis, admirando naturæ artificio, quatuor angulis per longitudinem



decurrentibus; elevato vero, circumcirca transverſo margine prædita; qui haſtam ipſam, ab ejus velut manubrio, quod pedunculo affigitur, evidenter & pulchro ſpectaculo diſtingvit. Magnitudinem & figuram adjecta icon ad naturam efficta, adumbrat; ubi ſiliqua pedunculo ſuo nixa, e ramo caulis ſurgens exhibetur.

Dia-

Diadelphia Decandria.

24. *Lathyrus pedunculis multifloris, cirrhis diphyllis, foliolis lanceolatis, internodiis membranaceis.* Lin. Sv 1137.

Lathyrus major Narbonenſis anguſtifolius. J. Bauh. II. p. 304. cum epicriſi & Synonymis Halleri in Fl. Helv. p. 596 N. 7. (a).

Deſcriptio. CAULIS obſcurius quadrangularis, tripedalis, alatus, alis latiſſimis, ſingula nempe earum, caule ipſo duplo latiori, membranacea. *Internodia*, duabus cum ſemiſſe unciis diſtant; diſtingvuntur autem STIPULIS binis, caulem velut decuſſantibus, integris, lanceolatis; longitudine ſeptem linearum, latitudine lineari; portione, quæ ſuperior videtur, duplo longiori. Inter ſingula Stipularum paria, petioli exſurgunt itidem alati, uncia majores, qui ex apice producunt folia bina, mediumque *capreolum* biuncialem, verſus apicem trifidum. Prodit quoque indidem, erectus pedunculus vel ſcapus, octuncialis & ultra; verſus ſummitatem ſex vel decem onuſtus floribus. FOLIA vero ab anguſto initio, ex elliptico longe & acute lanceolata ſunt, nervoſa, longitudine ſæpe quincunciali, latitudine vero ſex tantummodo linearum. FLORES non maximi, perelegantes tamen, ex rubro roſei, venis picti violaceis. SILIQVAM planam, tuba ſuperſtite; perfectam vero nondum vidi.

(a) Medius quaſi hic noſter videtur inter Lathyros N. 598 & 1139. Lin. Sv.

Locus & tempus.

Florentem reperi, circa finem Junii menſis, ad prædium Duſeke, juxta frutices, non procul ab agris; ubi rarius provenit planta, quæ ob florem perquam ſpecioſum, hortos etiam cultiores non male ornaret.

25. *Vicia pedunculis multifloris, caule fruticoſo.* Lin. Cliff. p. 368. N. 1.

Vicia multiflora Caſſubica fruteſcens, lentis ſiliqua. Breynii Prodr. I. Cat. Hort. Acad. Lugd. Pluken. Phytogr. P. Prioris Tab. LXXII. fig. 2. (a).

Deſcriptio. RADIX perennis oblique acta, fruteſcens cylindrica, fibris lateralibus tenuiſſimis pauciſſimis; obducta cortice pallide fuſco; longitudine ſexunciali & ultra; diametro vero, plus minus, lineari. E radice unica, plures ſæpe exſurgunt CAULES, pedales, quadranguli, e pallido virore tantillum rubentes, pubeſcentes, vix cavi, ſubduri, minime tamen, eo, quo radix gradu, fruteſcentes, ſed magis herbacei; ſæpiſſime e radice tantum ramoſi; quandoque vero unum alterumve, e medio quoque ramulum imperfectum protrudentes. STIPULÆ ad alas foliorum utrinque ſingulæ, bi-vel trilineares, linea ſæpe anguſtiores; cauli parallelæ, integræ, acutæ, ſubhirſutæ, in ſuperiori caulis parte absque appendice; in inferiori vero evidenti appendice donatæ, itidem acuta, ſed breviori. *Internodia*, uncia a ſe mutuo & ali-

(a) Icon hæc adeo pulchre plantam noſtram exprimit, ut in partibus, quæ adumbrantur, vix quicquam deſiderari queat.

liquanto magis diſtant; producunt vero PETIOLUM carinatum, capreolo vel ſimplici vel bifido terminatum, geſtantem FOLIA 12 vel 14 parium; quæ propius ad caulem ex alternis plerumque breviſſimis petiolis exſurgunt; verſus apicem vero, oppoſito magis habitu ordinantur, hinc breviora, illinc longiora, elliptico linearia, longitudine 4 aut 6 linearum, latitudine ſesquilineari; tantillum hirſuta, nervo ſubtus eminente prædita, qui ad apicem ſubrotundum folii, ſpinulam educit acutam (a). PEDUNCULI ex alis inferioribus plerũq; nulli, circa medium vero & ſupremum caulem, biunciales eriguntur, parum angulati, geruntque FLORES, 5 & plures, cœruleſcentes, tribus lineis vix longiores, viciæ characterem exprimentes. Sequuntur vero eos SILIQVÆ aliquot, 4 lineas longæ, duas vero latæ, glabræ, virentes; continentque SEMEN, perfecte dum maturuerit, ex oblogo rotundum, alioquin vero ſæpius compreſſum; longitudinali diametro vix ſesquilineam æquante. *Saporem* vero leguminum, ſatis fortem habet; *colorem* vero puniceum, fuſcum, obſcure reſplendentem. Unicum tantummodo in ſingula ſiliqua perfectum reperire ſemen potuimus, ut monospermam dixeris, niſi in quibusdam ſiliquis, trium ſeminum imperfecta liceret animadvertere rudimenta.

Locus & tempus.

Provenit rara hæc vicia ſatis copioſe, binis cir ci-

(a) *Viciæ pulchrum genus, multifolium* &c. ex monte Apennino J. Bauh: II. p. 316, habitum & folia plantæ noſtræ, pulchre quoque adumbrat, quamvis aliam omnino viciam icon hæc, teſte Hallero in Flora Helv. p. 599. N. 6. deſignet; quæ eſt vicia N. 603. Lin Svec.

citer Londino milliariis verſus Dahlby, trans molam Hasslemölla dictam, in arenoſis ſylveſtribus ad viam publicam;ubi legimus initio Auguſti menſis; inq; eadem planta, & ſemina matura & flores eodem tempore, offendimus perfectos.

26. *Lotus floribus umbellatis, ſiliquis pendulis, caule erecto.* Hall. Helv. p. 571. N. 2. & Catal. Horti Gotting. p. 59. certiſſime.

Loti corniculatæ major ſpecies. J. Bauh. II. p. 355. 356. utcunque.

Lotus πολυκέρατος ſiliquis glabris & hirſutis. Moris. II. Sect. 2. Tab. 18. Bona icon, ſiliquarum hirſutarum, longiorum & tenuiorum; quamvis in noſtris ſiliquæ glabræ obſerventur.

Lotus pentaphyllos, flore majore, luteo ſplendente. Vaill. Bot. Par. p. 119. cum deſcriptione.

Deſcriptio. Radix teres, longa fibroſa, alba, oblique acta vel horizontalis. CAULIS erectus, pedalis & tripedalis, teres, vix ſtriatus, fiſtuloſus, glaber, viridis & atrovirens, ramoſus, nodis ad alas foliorum & ramorum ortus, ſæpe præditus. STIPULÆ vel folia ad caulem & internodia, binæ, cordato lanceolatæ, fere glabræ, virentes. FOLIA ad petiolos, etiam ut in vulgari loto ternata, majora tamen, oblonga, lateribus evidentius inæqualibus. *Pedunculos* longe nudos, folia terminant tria, breviter petiolata, quæ coronantur umbella florum plurium ſeſſilium 8 vel 10. CALYX ut in vulgari, ſegmentis vero anguſtioribus. COROLLA lutea, magis quam in vulgari ſaturata, aurea, neque tamen major; niſi quod petalorum ungves, anguſtiores ſint & longiores. SILI-

QUA

QUA cylindrica, ſæpe ex atro virens, glabra, recta, quam in vulgari loto longior, apice acutiori, ſeminibus magis diſtantibus; neque tamen ſic, ut articulata dici ſiliqua poſſit.

Locus & tempus.

Provenit ad rivulum, in prato humido herbifero, pagi Fogellång; ubi legimus circa medium menſis Auguſti.

Syngeneſia polygamia æqualis.

27. *Leontodon calyce toto erecto hiſpido, foliis hiſpidis dentatis integerrimis.* Lin. Sv. 628. It. Weſter Goth. p. 14.

Locus & tempus.

Quod ad Wadſtena OſtroGothiæ, & dein in Weſter Gothia reperit cel. Linnæus, Leontodon; apud nos in Scania quoque paſſim provenit, ad prædium Heckeberga & alibi; ubi Junio menſe collegimus.

28. *Hypochæris foliis ſerrato ſinuatis, caule ramoſo nudo pedunculis ſquamoſis.* Lin. Cliff. p. 386. N. 3.

Hypochæris dentibus foliorum rectangulis, caule nudo ramoſo Hall. Helv. 759 N. I.

Hieracium intybaceum. Tabern. Ic. 183. optime.

Hieracium macrocaulon junceum, ſive minus primum Dodoneæo. I. Bauh. II. p. 1031.

Obſervatio. Calycis peculiaris habitus; ut alia taceamus, fere hanc plantam a cognatis diſtinguit. Squamas enim, ex quibus conſit, acutas, rigidulas, e viri-

di

di liventes; ſtria media, flaveſcens, viridis, glabra percurrit, duas tertias longitudinis earum occupans. Apex ſquamarum, maculam ſæpius nigram habet, & terminatur margine ciliato albicante; dum microſcopio in recenti planta luſtratur, elegantiſſimo. Baſin calycis, ceterum ſatis glabri, pili rari, rigiduli, e flavo albicantes, diſtingvunt; ſquamæ vero calycinæ trium, quatuorve ordinum; ſucceſſive longiores fiunt, quo magis ſunt interiores.

Locus & tempus.

Legimus ad prædium Heckeberga, locis graminoſis ſiccioribus; v. g. ubi machina eſt, pro moderandis piſcinarum aquis.

29. *Hieracium caule ſupra folia ramoſo, foliis amplexicaulibus dentatis glabris.* Lin. Sv. 638.

Hieracium montanum latifolium minus Tabern. Ic. 186. optime.

Locus & tempus.

Creſcit in ſylveſtri prato ad Heckeberga, ubi, Alpinis exceptis, omnium fere Hieraciorum, cognatarumque per Sveciam obſervatarum plantarum, proventus habetur uberrimus. Florens vero Junio menſe legimus.

30. *Hieracioides foliis variis, glabris,* (ſubasperis), *caule ramoſiſſimo.* Hall. Helv. p. 751. N. 4.

An *Chondrillis affinis quædam laciniata, an Trinciatella* I. Bauh. II. p. 1021? habitus certe ſatis ſimilis.

Deſcriptio. Planta hæc, quæ a vulgari crepide, ejusque varietatibus plurimis, habitu longiſſime recedit; CAULEM habet pedali majorem, erectum durum

rum compreſſum quaſi, tenuem ſeu junceum, profunde ſulcatum, ut quaſi alatus appareat; pilis porro albis breviſſimis rigidum, ad angulos acutiſſimos ramoſiſſimum. FOLIA ad caulem lineari lanceolata, binas uncias longa ſesqui lineam lata, ſubaspera, ſeſſilia vel ſemiamplexicaulia, auriculis longis, acutis, reflexis prædita. Ex alis foliorum, *pedunculi* exſurgunt prælongi, cauli ſimiles ſub flore parum intumeſcentes, ſquamisque raris vel foliolis præditi; gerentes ſinguli, ſingulos flores, ſub floreſcentia fere nutantes, poſt vero erectos. Horum vero CALYCES cylindracei, ſquamis fiunt fere 13 anguſtis acutis fere trilineаribus, dorſo eminente, pilis minimis ſubfuſco. *Squamæ* calycinæ ad baſin *acceſſoriæ*, pauciores ſunt, tenues reflexæ; quomodo etiam interiores ſquamæ, maturo ſemine verſus pedunculum reflectuntur. COROLLULÆ flavæ, medicores; hermaphroditæ 16 aut 20; propriæ ligulatæ, quinquedentatæ. SEMINA ſesquilinearia, per longitudinem ſtriata, parum ventricoſa & incurva, ſuperius acuminata magis; perfecte matura, punicea; immatura, fulva. Gerunt vero *pappum* ſeſſilem, ſimplicem, lacteum, ſesquilinearem. Radicem & inferiora folia, nondum vidimus.

Locus & tempus.

Reperimus Auguſti menſe, in agris ad Skaberſiögård; in ſegetibus vero ad öſtra Sallerup, die 19 Julii eandem invenit plantam, Dominus Aretin.

31. *Picris calycibus imbricatis.* Lin. Sv. 641.

Cichoreum luteum. Tabern. Ic. 172. commode pro varietate minori.

Locus tempus & obſervatio.

Varietas major, caule angulato, ſubſulcato, brachiato; in limitibus agrorum & ad foſſas viæ publicæ, circa pagum Onslunda copioſe provenit: minor vero, caule teretiuſculo vix ramoſo, ad prædium creſcit Skabersiögârd. Utraque vero, Julii & Auguſti menſibus florens reperitur.

32. *Carduus acaulis, calyce glabro* Lin. Sv. 656. caule elatiori.

Cirſium caule floris longitudine. Hall. Helv. 682.

Chamæleon exiguus Tragi. I. Bauh. III. p. 62.

Carduus humillimus ſeptentrionalium, flore purpuro rubente. Moris. Hiſt. III. p. 156. cum deſcriptione.

Deſcriptio. RADIX perennis, repens longa dura, minimi digiti craſſitie; ab una parte ſæpius velut exeſa; extus ſubalbida cortice quaſi obducta, intus purpuraſcens; intervallo pollicis ſemper arctior, unde interjecta pars nonnihil apparet tuberoſa, fibram unam vel alteram ad angulos rectos ſpargens, longiſſimam albam carnoſam. CAULIS erectus ſemipedalis & pedalis, pallide virens, ſimplex, teres, ſæpius glaber (a); terminatus capite ſimplici, rarius gemino. FOLIA radicalia plura, e petiolis ſemivaginalibus caulem amplexantibus longe porriguntur, pinnata, paribus pinnarum 6, & ultra, late folioſis, anguloſis, margine ciliatis, vel mitius plerumque ſpinoſis. Folia ad caulem alterna, petiolata quandoq;, ſed brevius; erecta, ſimiliter pinnata, ſuperne viridia glabra, inferiori parte pal-

(a) Reperimus tamen eandem plantam. jam maturam; pubeſcentem & totam ſubhirſutam.

pallidiora, nervo prominente mitius hiſpido. CALYX ovato conicus, ſquamis factus imbricatis multarum ſerierum glabris, fuſcis triangularibus; apicibus acutis vix reflexis, ſupremis purpuraſcentibus. COROLLULÆ hermaphroditæ propriæ, monopetalæ, quinquefidæ purpureæ, valde ſtrictæ, lacinia una inferiori reflexa. *Tubus* longiſſimus, perquam gracilis, albus, pappo ſtipatus germinis. *Stamina*, filamenta quinque tenuiſſima fuſca, villo quaſi ſericeo nupta, ſuperne in cylindrum longum purpureum ſtrictum coalita, ore multifido. *Piſtillum*, germen oblongo compreſſum, album. *Stylus* inde ortus, ſtaminibus multo longior, inferius albicans, ſuperius purpuræ ſpeciem flori largiens, *Stigmate* obtuſo. SEMINA cannabis ſemini æqualia, oblonga, leniter compreſſa, glabra, e griſeo albida, terminata margine orbiculari, e cujus centro breviſſimus prodit cylindricus clavus, cui adaptatur cavus cartilagineus quaſi cylindrulus, unde pappus prodit longiſſimus plumoſus, per maturitatem in ſphæram expanſus.

Locus tempus & obſervat.

Provenit rarius peculiaris hæc Cardui acaulis varietas, juxta frutices in monticulis pagi Fogelsâng; & prope Lundinum ad viam publicam verſus Hurſwa: ubi Auguſti menſe legimus. Eo certius autem perſuademur varietatem eſſe, quod in horum vicinia locorum, plurimus ſit Cardui acaulis proventus; & pro varietate haberi debere ſibi ante viſa, non obſcure indicaverit cel. Haller. Quin & Moriſonum aliquantum ſimilia obſervaſſe, citato ſupra loco, comperimus;

mus; in lætis nempe & humentibus agris, palmarem aut ſesquipalmarem acquirere caulem proceritatem.

35 *Bidens corona ſeminum retroſum aculeata, foliis lanceolatis amplexicaulibus, floribus natantibus.* Lin. Sv. 664. § corollis radiatis.

Bidens foliis longe ellipticis, ſerratis indiviſis. Hall. Helv. p. 710. N. 2.

Locus, tempus & *Obſervatio.*

Floret initio ſeptembris ad rivulum, qui a pago Wallkiärra verſus Fielige decurrit. Eſt hæc varietas procerior, foliis ad baſin coalitis, habitu ſatis a Coreopſi diſtingvenda; de qua infra dicendum.

Syngeneſia polygamia ſuperflua.

34. *Gnaphalium foliis lanceolatis, inferioribus obtuſis, caule herbaceo ſimpliciſſimo, corymbo terminatrici compoſito.* Lin. Sv. 674. calyce aurantio.

Elichryſum, ſeu Stoechas citrina, latifolia C. B. *calyce ex aureo rutilante.* Ruppii Fl. J. p. 192.

Locus, tempus & *Obſervatio.*

Legimus in campis arenoſis, medio Junii, inter pagum Sandby & prædium Julared; ubi, cum Stoechade citrina, rarius provenit. Eſt autem luxurians adeo, in arenoſis Scaniæ, Stoechadis citrinæ proventus; ut omnibus fere Sveciæ pharmacopoliis, ſufficere poſſe videatur.

35. *Senecio foliis longiſſime mucronatis, ſerratis, ſubtus incanis, floribus umbellatis.* Hall. Helv. p. 735. N. II.

Co-

Conyza quarta. Camerar. Epit. Germ. p. 301.
Conſolida paluſtris; Tabern. Ic. 555.
Jacobæa foliis longis integris & mucronatis. Moris. Hiſt. III. p. 110. Tab. 19.

Deſcriptio. RADIX velut ſuccisa; faſciculatis fit fibris plurimis, albis longis ſubæqualibus. CAULIS inferius teres, diametro trium linearum; ſuperius parum ſtriatus, ſimplex; altitudine trium quatuorve pedum, fiſtuloſus; modice fragilis. FOLIA per caulem æqualiter ſparſa, alterna, longe elliptica, lanceolata, ſubſeſſilia, erecto patula, acute ſerrata; ſuperius virentia, glabra, ſplendentia; inferius pallidiora, vix tomentoſa, nervoſa vero, coſtaque media prominula; uncias tres longa, quatuor vel 5 lineas lata. *Flores* ex alis foliorum ſuperiorum, e pedunculis eriguntur parum tomentoſis, qui in corymbum colliguntur inæqualem, florum 7 vel 15. CALYX cylindraceus ex plurimis fit parallelis coalitis ſquamis ſimplicis ſeriei, ad apicem acutis, obſoletis, liberis. Ad baſin ſquamæ ſetaceæ 7 vel 12, prioribus adjunguntur. COROLLA radiata lutea; *ſemifloſculis* patentibus, perpetuo, quantum vidimus, tredecim; quatuor vel 5 lineas longis, lineam latis, limbo parum compreſſo ſubobtuſo, ſubdentato; femininis floſculis cunctis, ſtylo bifido, ungue lineari longitudine calycis, germinibus pappo coronatis longitudine ungvis. *Corollulæ diſci* infundibuliformes, patentes quinquefidæ, tubo longo gracili, itidem flavo. *Stamina* coalita prominentia; *Stylo* in medio bifido, parum extra antheras reflexo. SEMINA longiuſcula, pappo coronata ſimplici. RECEPTACULUM planum, nudum.

Lo-

Locus & tempus.

Creſcit in aquis quieſcentibus paſcuorum Chriſtianſtadii, ad ſiniſtras extra portam ſeptentrionalem urbis, juxta ripam fluvii, Helge â dicti; ubi legimus inter Butomos & ſalicarias, Julii die 21.

36 *Jacobæa foliis linearibus pinnatis, pinnulis ſæpius alternis, diſtantibus diffuſis, cornu cervi inſtar ramoſis.*

Locus, tempus & Obſervatio.

Senecio eſt, quæ pertinet ad *Jacobæam vulgarem* N. 688. Lin. Sv. Recenſione autem digna videtur, quod foliis a Jacobæa Artemiſiæ foliis modice differat; cui ceterum, perenni, ut videtur radice, flexuoſo, duro, rubente ac tomentoſo caule, ſatis obſeruatur ſimilis. Reperitur autem in pratis durioribus v. g. Canonicis, Julio menſe & Auguſto; ſerius quam vulgaris, florens.

37, *Aſter luteus major foliis ſucciſæ.* C. B. P. pag. 266. Moris. Hiſt. III. pag. 117. Tab. 21. Deſcriptio & icon ſatis reſpondent.

Aſter luteus major foliis ſucciſæ. C. B. Rupp. Fl. Jen. Hall. p. 180.

An *Aſter paluſtris luteus, hirſuto ſalicis folio.* Vaillant. Bot. Par. p. 18?

Deſcriptio. RADIX dura, plurimis fibris circumquaque ſparſis, extus fuſco cortice obductis, intus albis, firmatur. CAULIS erectus, diametro lineam vel ſesqui lineam æquat; altitudine pedalis, rarius bipedalis; teres, ſubſolidus, leniſſime ſtriatus, pallide virens, verſus radicem quandoque rubeſcens, molli modica lanugine totus pubeſcens, ex ſummitate tantum ramoſus. FOLIA, quæ *ad radicem* & his proxima,

ma, petiolo ſeſſili latiuſculo plano nituntur, qui ſenſim latior factus, folium conſtituit longe ellipticum, lanceolatum; longitudine trium quatuorve unciarum, latitudine 5 vel 7 linearum, margine ſubſerrato vel obſcure dentato. Quæ ad caulem ſunt folia, alterna ſunt, erecta ſeſſilia & ſemi amplexicaulia, auriculis ſubrotundis; de cetero longe elliptica, acute lanceolata, ſubdentata, molli, ut priora, ſubtus modica hirſutie, non tomento obducta, nec rugoſa; ſupra obſcurius, infra pallidius virentia, nervo ſubtus prominente. Ex alis foliorum ſuperiorum, exſurgunt rami pauciores tres vel 5, qui e pedunculis, copioſa alba lanugine pubeſcentibus, flores producunt erectos, totos luteos, quorum CALYX, trium fere ordinum ſquamis, anguſtis, 60 circiter, conficitur; interioribus brevioribus & anguſtioribus, mediis longioribus, alba lanugine aliquantum pubeſcentibus; extimis longiſſimis pauciſſimis, tribus vel quatuor, itidem erectis, ſubhirſutis, acutis; his quidem latitudine fere lineari, longitudine ſemunciali & ultra. COROLLA compoſita radiata, *ſemifloſculis* femininis luteis patentibus, 60 plus minus; dimidium vix lineæ latis, 4 vel 5 lineas longis, limbo tridentato. *Corollulæ* convexi *diſci*, numeroſiſſimæ pariter luteæ, infundibuliformes, quinquefidæ. GERMEN pappo ſimplici coronatum, absque paleis intermediis. RECEPTACULUM nudum, convexum, punctatum. Radix *ſaporis* eſt ſubaromatici, mitioris. Folia vero valde amara. Flos calida maceratus, *odoris* eſt fragrantis Millefolii vel calendulæ.

Locus, tempus & obſervatio.

Creſcit locis graminoſis ſubhumidis, extra muni-

nimenta Chriſtianſtadii, ad dextras portæ urbis ſeptentrionalis, ubi legimus ſub finem Julii menſis. Proxime accedit Aſteri 694. Lin. Sv. in Gothlandia ac Oelandia reperto; abunde tamen etiam differt & dilutiori Aſteriſci virore, ſemifloſculis magis Aureis ac longioribus, & habitu denique minus ramoſo; ut alia taceamus, quæ utramque plantam conferenti, obvenerunt diſcrimina.

38. *Ptarmica ſeu Dracunculus pratenſis minor, viridis, foliis profundius & elegantius inciſis Plukn.* Hall. Helv. p. 713. N. I. lit. δ.

Ptarmice Fuchſii p. 739. Commode Achilleam hanc exprimit, niſi quod ſerraturæ in noſtra pluſculum latiores ſint, folia vero anguſtiora, magisque crebra.

Locus, tempus & *obſervatio.*

Reperimus in humidis ſylveſtribus inſulæ örnholmen, ad Heckeberga; æſtate jam vergente: eſtque varietas foliis atrovirentibus &c. *Achillea* 705, Lin. Sv., cujus in Scania copioſus habetur proventus.

39. *Achillea pinnis foliorum & pinnulis remotis, & anguſtis pinnulis plurimis.* Hall. Helv. p. 715. N. 9.

Millefolium nobile & ſtratiotes vera. Moris. Hiſt. III. p. 38. cum icone folii ſingularis.

Locus, tempus & *Obſervatio.*

Legimus media æſtate inter Wram & Chriſtianſtadium, ut & ad prædium Dufeke in ſylveſtribus. Num, odorem ſi exceperis fragrantiſſimum, & ſtaturam ſæpius magis proceram, pinnulasque plerumq; remotas magis; ulterius differat ab Achillea N. 705. Lin. Sv.; non facile dixerim. Vidimus e Malmogiæ tra-

ctu

ctu maritimo allatum, ſtatura humiliori, odore gratiſſimo, caule & foliis perquam tomentoſis.

Syngeneſia polygamia fruſtranea.

40. *Coreopſis bidentis, ſeu Hepatorium aquatile, folio non diviſo, flore aureis undique petalis radiato Triumf.* Obſ. 65. Lin. It. WeſterGoth. p. 160 & 272. cum deſcriptione.

Eupatorium cannabinum, palmare & anguſtifolium, flore radiato. Hall. Helv. p. 710. N. 2. lit. β conf. Moris. Hiſt. III. Sect. 6. Tab. 5. N. 22. (a).

Locus, tempus & Obſervatio.

Sub finem Auguſti menſis, reperimus loco paludoſo editiori, prope molam Wadmöllan dictam; milliare Londino diſtantem. Statura humili & odore fortiſſimo, quo anethum perfecte æmulatur, a bidente N. 35 novimus differre.

41. *Cnicus caule erecto, foliis inferioribus laciniatis, ſuperioribus integris.* Lin. Sv. 711.

Carduus pratenſis Tragi. J. Bauh. III. p. 42.

Locus & tempus.

Floret menſe Julii & Auguſti, ad Fogelsâng (b); in-

(a) Apud Moris. ſeminum coronæ, dentibus 4, imo vero 5; ut in noſtris ſæpe vidimus, pulchre adumbrantur.

(b) Qui ad Fogelsâng naſcitur, proceritate reliquos ſuperat, floſculisque omnibus hermaphroditis gaudet; ægre ideo a Cardui genere diſcernendus.

inter Osbyholm & Hörby; Tranâs & Tunbyholm, in humidis, paſſim ad viam publicam.

Gynandria Diandria.

42. *Orchis morio mas, foliis non maculatis* Lin. It. Gothl. p. 117. c. deſcr. Fl. Sv. N. 724. lit. β.

Orchis radicibus ſubrotundis, cucullo ſparſo, labello ampliter trifido, crenato, flore concolore, Hall. Helv. p. 265 N. 10.

Orchis major tota purpurea, non maculata. I. Bauh. II. p. 760.

Orchis morio mas foliis non maculatis. Vaill. B. P. p. 151. Tab. XXXI. fig. 11. & 12. bene.

β. *Orchis major tota purpurea maculoſo folio.* I. Bauh. II. p. 762. (a).

Orchis morio mas foliis maculatis. Rudb. Elyſ. II. p. 191. fig. 1. & *Orchis morio foliis ſeſſiblibus maculatis*, Ejusdem p. 192. p. 2.

Deſcriptio. RADICES binæ teſticulatæ oblongæ, quarum major non emarcida unciam longa, ſemunciam obſeruatur lata. CAULES ſæpe flexuoſi obſervantur, ſæpius tamen recti. binas lineas craſſi, teretes, ſuperius parum ſulcati, purpuraſcentes, infra flores plerumque ſexunciales. FOLIA ad radicem tria vel

---

(a) In maculatis, quot examinavimus, *radices* ſphæricæ fuerunt, cum in non maculatis oblōgæ eſſent; minores præterea, diametro tantum ſemunciali vel 6 linearum, cum in non maculatis, caule humiliore præditis, uncialis eſſet diameter radicum longitudinalis. *Caulis* porro in maculatis gracilior, magis teres, procerior, infra

vel 4, utrinque glabra nitentia (b) ſuperius tamen intenſius; ex elliptico obtuſius lanceolata; unciam lata, quatuor circiter uncias longa. Quod ad baſin caulis oritur folium unum alterumve, eundem vaginæ in modum amplectitur. *Spica* vel *racemus* 4 eſt vel 5 unciarum, floribus vero conſtat 20 plus minus, ut Cel. Lin. in It. Gothl. notavit. COROLLA florum violaceo purpuraſcens, vel amœne quoque roſea, concolor faucibus pallidioribus ſæpe absque maculis, ſæpius vero ſaturatioribus maculis tinctis. *Petala* bina exteriora 4 lineas longa binas fere lata, limbo ſubobtuſo ſæpe crenulato, antrorſum ſpectante; ceterum valde divaricata & incurvata, aviculæ in modum volitaturæ. *Petalum tertium*, inter hæc medium, tres lineas longum, binas latum, limbo ſubrotundo magis & obtuſiore, antrorſum vergens galeam tegit? quæ ex binis ſit petalis conniventibus acutis. *Petalum ſextum* una cum cornu, 9 lineas longitudine explet. Ex his 4 cum ſemiſſe cornu faciunt; tres cum ſemiſſe labium a faucibus oriens ſibi vindicat; reliqua linea ipſius faucis longitudinem conſtituente. LABIUM e faucibus

G 2 di-

flores ſæpe pedalis; *racemus* vero, quam in non maculatis brevior, binas uncias parum ſuperans. *Folia* 5 uncias longa, 9 lineas lata, fine ſubobtuſo. *Flores* octava circiter parte, quam in non maculatis, minores.

(b) Maculas, in maculatis, ſuperius plerumque folia gerunt, easdemque majores ſublividas, quales apud Rudbeck. pinguntur. Vidimus vero etiam utrinque maculata folia, minimis punctulis eleganter purpureis quaſi adſperſa, ut Orchidem macul. totam purpuream, bene adumbrat J. Bauh.

dilatatur limbo trifido, ſegmentis ſubæqualibus, lateralibus crenatis, intermedio productiore, parum bifido; cujus e medio brevis minima acuta ſpinula ſæpe egreditur. Latitudo labii inferioris 4 eſt linearum. CORNU, apicem ſubobtuſum, quandoque emarginatum & dilatatum habet. GERMEN contortum, 4 eſt vel 5 linearum. SPATHÆ purpuraſcentes, germini ſæpius æquales, quandoque longiores.

Locus, tempus & Obſervatio.

Creſcit in terra humida pingui lutoſa, Scaniæ campeſtris & ſylveſtris, circa Lundinum; v. g. inter Lundinum & Dahlby; ad Fogelsâng, Torup & alibi paſſim. Prima apud nos omnium orchidum eſt, circa finem Aprilis & initio Maji florens. Splendidisſima vero purpura, ſpectatorum oculos e longinquo etiam àd ſe allicit. Variat multis modis, flore tamen ſemper concoloro, non lineato, ut apud nos *Orchis Morio femina*, quæ hanc noſtram Majo menſe ſequitur. Legimus inodoram ſæpius; alias vero radicis odore præditam; alias amœnum violæ odorem ſpirantem. Sunt hujus radices, quæ auctorum conſenſu, vere Pharmaceuticæ debeant haberi.

43. *Palmata ſpecioſiore thyrſo, folio maculato.* J. Bauh. II. p. 774. Lin. Sv. 529. petalis omnibus erectis æqualibus, calcare deſtitutis.

Deſcriptio. RADIX palmata, qualis palmæ Chriſti minoris maris, apud Tabern. Icone 680 exprimitur; digitis tamen ex anguſto initio longioribus, gracilibus. CAULIS erectus, infra flores pedalis, teres glaber. FOLIA per caulem alterna, ſenſim breviora, erecta, vaginantia, glabra liliacea, maculata, e line-

e linearibus obtuſe lanceolata ; quorum inferiora tres uncias longa , quatuor lineas lata. SPICA triangularis , uncias binas & paullo ultra, longa ; floribus inferius rarioribus , ſuperius in apicem acutum cogeſtis. *Bracteæ* latiuſculæ lanceolatæ , floribus tantillum breviores, & ipſæ, ut folia maculatæ. FLORUM petala ſex e germine parum intorto quatuor lineas longo ; quorum tria , ut in Helleborine exteriora , tria vero interiora, erecta cuncta, æqualia, ovato lanceolata, apicibus conniventibus , duas lineas cum dimidia, longa ; lineam & ſesquilineam , circa baſin aliquantum concavam, lata ; concolora , coloris grati ex albo violacei, limbis ſaturatioribus purpuraſcentibus. *Petalum ſextum* a reliquis ægerrime diſtingvitur, niſi quod ad baſin foveolam nectariferam minimam quidem , ſed evidentem tamen foveat, calcare plane deſtitutum. *Fructificationis appartus* linea vix longior, in medio corollæ erigitur, antheris virentibus ex breviſſimis ſtylis in marſupio, conſveto modo comprehenſis. *Germen* in modum vaginulæ protuberans, baſin ſtaminum inveſtit. *Odor* florum nullus.

Locus, tempus & Obſervatio.

Reperimus die 9 Junii, trans Blentarp, dum Lundino Yſtadium itur ; ubi aderat mira orchis, ad ſiniſtras viæ publicæ in prato ſubhumido , proveniens inter orchides N. 723. 724 & 729 Lin. Sv. Quum unicum tantum ſpecimen plantæ, diligentius quantumvis quærenti, licuerit invenire ; quumque floris peculiari figura excepta , ad orchidem palmatam ſpecioſiore thyrſo Lin. S. N. 729, quæ maxima hic copia naſcebatur , proxime accederet ; iſtuc etiam referri debere judicavi-

vimus. Nec aliter ac naturæ luſum, animadverſione tamen digniſſimum, orchidem hanc conſideravimus; cujusmodi etiam ſpecimen, ad *orchidem militarem minimam Riv.* Lin. Sv. N. 726, pertinens, e coryletis Hafgârdenſibus, ad nos attulit Med. Stud. Giſtrèn.

44. *Satyricum bulbis faſciculatis, foliis lanceolatis: nectarii labio trifido acuto, intermedio majore.* Lin. Sv. 263.

Orchis palmata alpina, ſpica denſa albo viridi. Hall. Herc. 68. cum deſcr.

Obſerv. RADIX ex 5 vel pluribus fit truncis, teretibus, conicis, carnoſis albis, uncialibus & parum longioribus; lineam craſſis, absque fibrillis & carpo. FOLIA ad terram in noſtris vix ulla, ad caulem vero 5, quorum inferiora obtuſa. Apices *petali* ſexti trifidi, & duorum quoque interiorum, ſubfuſci purpuraſcentes. *Odor* florum ſubdulcis, utcunque lilii convallium, odoris gratiam mox depoſituri.

Locus & tempus.

Circa initia Junii menſis, prope Lundinum in aridis apricis verſus ſylvam Reften lectum; ad nos attulit Med. St. Aretin.

46. *Serapias radicibus fibroſis, nectarii labio obtuſo, petalis breviore, foliis enſiformibus.* Lin. Sv. 734. lit β. It. Oeland. p. 144. c. deſcr.

Damaſonium alpinum floribus luteis. J. Bauh. III. p. 571. Icon ſiniſterior anguſti folia, noſtram plantam melius exprimit.

Quid, *orchis minor anguſtifolius, in ſuprema parte longis foliis.* J. Bauh. II. p. 765? Foliorum & racemi habitus, plantam noſtram pulchre adumbrat; obſtat vero radix in icone, teſticulata.

Ob-

Obſerv. FOLIA ſuprema, longitudine cætera æquant. CAULIS glaber. BRACTEÆ, quæ germen ſuſtinent, linea vix longiores albicantes. *Germen*, quod flores ſuſtinet, erectum, trium quatuorve linearum. *Flores*, unicum ad ſex, albi, petalis, 5 & ultra lineas, longis, adeoque quam in ſequenti ſpecie majoribus.

Locus & tempus.

E ſylvis Hafgârdenſibus, medio circiter Maj menſe, ad nos attulit Med. St. Giſtrèn.

46. *Helleborine floribus obſolete carneis, labello obtuſo.* Hall. Helv. p. 275. N. 6.

Helleborine paluſtris ſeu pratenſis noſtras: radice repente. Moris. Hiſt. III. p. 487. N. 8.

Deſcr. RADIX duobus vel tribus conſtat truncis divaricatis, oblique actis teretibus, cylindricis, extus flaveſcentibns intus albis carnoſis, diametro, plus minus, lineari. Ex his truncis ad angulos fere rectos, fibræ exeunt itidem teretes, albicantes longiſſimæ, ad quatuor usque uncias. CAULIS unicus, teres, ſuperiori maxime parte rubens, alba lanugine hirſutus, infra flores 6, ſeptemve uncias, ad pedem usque longus; inferiori parte ſquamis obvolutus foliaceis obtuſis, quas excipit folium unum vel alterum, ovatum vaginans, & ſequuntur poſt alterno quoque ordine, FOLIA tria quatuorve, erecta dura, glabra, itidem nervoſa, unciam fere lata, tres uncias longa, ſupremis tamen duplo brevioribus & anguſtioribus. RACEMUS plus minus, uncialis; ante floreſcentiam nutat, ſenſim floribus explicatis erigitur, onuſtus *floribus* 7 ad 12, pendulis; quos *bracteæ* diſtinguunt elliptico

ptico lanceolatæ, herbaceæ nervoſæ, floribus aliquantum breviores. GERMEN flores ſuſtinens, 6 linearum, ad angulos rectos a caule ſecedit, purpureum, alba lanugine hirſutum, non ut in reliquis contortum, ſed 6 angulis eminentibus per longitudinem notatum, ſuperius convexum, inferius ſubplanum; ad caulem gracile, verſus florem ventricoſum. PETALA ſex, quorum tria exteriora (a), elliptico lanceolata, erecto patentia, concava, rigidula, tres lineas longa, binas lata, extus nervoſa ſubhirſuta herbacea, e flaveſcente virore obſolete purpuraſcentia, intus glabra, ſature purpurea, limbo albeſcente. *Petala* bina *interiora*, quæ ſupremo petalorum extimorum, qua partem teguntur; aliquantum ſunt breviora, penitus glabra, ad baſin purpuraſcentia, verſus apicem alba. *Petalum ſextum* infimum, nectarium habet concavum obtuſe carinatum album 4 vel 5 purpureis lineis non elevatis, utrinq; notatum; ad baſin vero per longitudinem, croceis elevatis, ſcabris punctis diſtinctum, nullo præditum calcare; de cetero, demto labio, utcunque triangulum, ut apex germen reſpiciat. *Labium* petali ſexti penitus album reflexum, inter petala bina extima infima propendet, anguſto initio vel collo e nectario ortum; ubi tumores bini eriguntur, ſuperius albi, ad baſin vero flavi. De cetero ſubrotundum labium eſt, diametro trium fere linearum, limbo integro, extrema

(a) Supremum extimorum petalorum, vere eſt elliptico lanceolatum; in lateralibus vero binis, ſuperior limbus magis eſt rectilineus, inferior vero admodum ventricoſus.

ma parte tantillum plicato & emarginato. *Apparatus fructificationis*, ad baſin nectarii cum quo continuus videtur exſurgit, nixus STYLO craſſo lineam longo, albo, ſuperius ampliato bifido. Styli pars ſuperior, eademque longior, breviſſimum utrinque acutum apicem album producit, inter quos machinula eſt flava, lineam longa dimidium lineæ lata, quæ ſtylo vel collo, plusquam breviſſimo mobilis eſt. Sub hac carnoſa machinula, quæ forte nectarii labium ſuperius appelletur, ANTHERÆ binæ jacent, dilutius flavæ perquam caducæ, & diſtingvuntur ſepto, quod ex machinula ſuperiori egreditur; ſuſtentantur vero inferiori piſtilli ſegmento latiſſimo breviori albo, quod STIGMA videtur conſtituere; cui etiam ſtyli, quibus antheræ niti debeant, ſi qui unquam obſervari poterunt, videntur adhærere. *Odor* radicum ab orchidum vix diſtat, florum vix ullus. *Sapor* radicum ſatis eſt amaricans.

Locus, tempus & obſervatio.

Floret circa finem Junii, & initio Julii menſis, in prato perhumido cæſpoſo ad Walaholm. Procerius vero, foliisque magis obtuſis; prope prædium naſcitur Klâgerup. Specie vero hanc a præcedenti N. 45. diverſam eſſe; utriusq; deſcriptionem conferenti, patebit.

Cryptogamia Muſci.

47. *Hypnum repens filicifolium, non ramoſum, pediculis brevioribus ad radicem exeuntibus* Hall. Helv. p. 106.

Muſcus taxiformis ramoſus. Vaill. Tab. XXVIII. fig. 5. optime.

Muſcus filicifolius ſive pennatus minor, pinnulis plurimis ad mediam coſtam adnexis. Raji. Buxbaum. Cent. II. Tab. I. fig. 4. utcunque.

H Ob-

Obſerv. Tota planta vix uncialis eſt, *ramis* diffuſis ad 7 usque. *Folia* diſticha, conferta, elliptica, virentia, pellucida. *Pedunculi* ex alis foliorum, rubentes erecti tenuiſſimi, 4 linearum. *Capſula* itidem erecta, rubens ſubcylindrica, linea brevior, ſine obtuſo; *ſpinulam* tamen e medio minimam non incurvam largiens.

Locus & tempus.

Concinna planta, (ita enim illam appoſite cel. Haller vocat) naſcitur ad lapides muſcoſos humentes, circa rivulum Piſſeka Bäck dictum, trans lacum ad Röſiöholm, ubi adſcenſus fit ad montemHallandsâhs dictum. Collegimus vero, die 20 Decembris, fructu jam maturo præditam.

48. *Bryum roſeum majus, foliis oblongis Dill.* Hall. Helv. p. 117. c. deſcr.

Muſcus ſtellaris roſeus C. B. Buxb. Cent. II. p. 2. Tab. I. fig. 5.

Locus & tempus.

Habitat in lapidibus, *Hypno* N. 880 & *Jungermannia* 927. Lin. Sv. veſtitis, inter frutices ad prædium Râbelöf, ubi menſe Maji legimus, absque tamen pedunculo & capſula. Sed e terra quoque ipſa germinat, cujusmodi ipſum menſe Octobris legimus, in Torringelund, ad prædium Skaberſiögârd; fructu vero itidem deſtitutum.

Cryptogamia algæ.

49. *Lichen ſquamoſus, acetabulis denſe aggeſtis.* Vaill. B. P. Tab. XXI. fig. 10.

Locus, tempus & obſervat.

Caulis ſquamoſus crispus, e cinereo & flavo virens; *tubercula* fuſca. Naſcitur vero e truncis arborum putridorum, ad prædium Röſiöholm, ubi legimus circa finem Decembris.

50.

50. *Lichen fruticuloſus ſolidus, ramulis teretibus nudis* Lin. Sv. 983. apicibus niveis breviter multifidis.

Lichen terreſtris anguſtior, ramoſiſſimus fuſcus Michel. Hall. Helv. p. 70. N. 43.

Obſerv. RADIX brevis, diſtincta tamen & fibroſa. CAULES unciales & ultra, ramoſiſſimi ſolidi, teretes vel parum compreſſi, glabri albentes, e flavo virentes & quandoque ſubcoeruleſcentes. Recentes cauliculi molles ſunt, & fungorum inſtar per longitudinem in fibrillas diſcerpi poſſunt albas; ſiccati vero duriſſimi friabiles evadunt, punicei coloris, ſplendentes, vernice quaſi forent obducti. *Apices* in capitula velut collecti, breviter evadunt multifidi, niveo candore a caule diſtincti.

Locus, tempus & Obſervatio.

Betulis antiquis & quercubus innaſcitur; radices agens in terra, quæ corticem earundem ſcabrum quandoque occupat. Referimus vero ad Lichenem N. 983. Lin. Sv. eo certius, quod Ipſe cel. Auctor id ipſum ſvaſerit. Naſcitur prope prædium Röſiöholm, ad dextras, dum verſus molam itur olivariam; ubi repperimus circa finem Decembris. Omnium autem lichenum fruticuloſorum, quos unquam vidimus, hic longe apparet formoſiſſimus.

APPENDIX.

51. V*eronica minima, clinopodii minoris folio, Romana.* Vaill. B. P. XXXIII. fig. 3. Lin. Sv. N. 15. c. Deſc.

Locus & tempus.

Ad prædium Torup in clivo arenoſo, initio Junii lectam; ad nos attulit Med. St. Giſtrèn.

52. *Myoſotis foliorum apicibus calloſis.* Lin. Sv. 149. floribus luteo ſulphureis.

Li-

Lithoſpermum arvenſe minus floribus luteis, vel luteo coeruleis. Vaill. B. P. p. 119.

Echium Scorpioides minus floſculis luteis. C. B. P. p. 119.

Locus, tempus & obſervatio.

Naſcitur rarius in ſummo vertice montis, per immenſam conchiliorum vim celebris, Baalsberg dicti, prope prædium Râbelöf; ubi aliquot legimus ſpecimina die 12 Maji. Creſcit vero in meridionali montis plaga, fervori ſolis objecta. Ibidem quoque *Acroſticum* Lin. Sv. 856. provenit, ad petras vero naſcitur: *Lichen imbricatus, foliolis linearibus dichotomis, planiuſculis acutis nigris, Scutellis atris.* Lin. Sv. 1140. Scutellæ autem ramoſæ ſunt vel ciliatæ.

53. *Primula veris albo flore Cluſii.* Hall. Helv. p. 484 N. 4. varietas eſt, ad N. 162. Lin. Sv. pertinens.

Locus & tempus.

Medio Maji ad prædiolum Giret, prope fodinas Andrarumenſes lectam, ad nos attulit Med St. Aretin.

54. *Bugloſſum anguſtifolium majus, flore albo* T. Lin. Cliff. p. 46. lit. *α*.

Locus & tempus.

Initio Junii menſis, legimus in arenoſis viæ publicæ verſus Everlöf.

55. *Saxifraga foliis cuneiformibus trifidis alternis, caule erecto ramoſo.* Lin. Sv. 353.

Alſine petræa rubra Tab. Ic. 708. bene, ſed absque flore. *Paronychia* III. Ej. Icon. 805. pro deſignando flore, cujus tamen petala in noſtris ſunt emarginata.

Tridactylites tectorum flore albo. I. Bauh. III. pag. 754. c. deſcr. *Locus & tempus.*

Saxifragam hanc, quam rarius provenire, bene cel. Linnæus monet; florentem abunde legimus die

die 12 Maji ad prædium Râbelöf, in agris requietis infra templum ſitis.

56. *Dianthus floribus ſolitariis, ſquamarum calycinarum ordine ſubſolitario, petalis albis crenatis.*

Caryophylli Sylveſtres. Camerar. Ep. Matth. G. p. 185.

An *Caryophyllus montanus albus* Tabern. Ic. 288.? Obſtant vero folia internodiis multum longiora, & flores, ut icon indicat, aggregati. Niſi & id ipſum quandoque poſſit variare.

An *Caryophyllus virgineus.* Tabern. Ic. 283? Vix quidquam repugnat.

Deſcriptio. RADIX fruteſcens, ſuperficialis alba, nullius peculiaris ſaporis; lineam diametro vix æquans, duas vel 3 uncias longa, conica, fibroſa. Edit vero unica radix, CAULES ſæpe numeroſiſſimos, fere pedales teretes pallide virentes, ſubhirſutos, ad radicem incurvos, creberrime geniculatos, dein vero erectos per dichotomiam diviſos, adeoque ſæpius ramoſos. FOLIA, ad tumentia genicula oppoſita, erecta, lineari vel lanceolata vel ſubobtuſa, pallide virentia, nervo ſubtus prominente; fere lineam lata, unciam longa; inferiori caulis parte geniculis vel longiora vel æqualia, ſuperiori vero parte iisdem breviora. *Rami* & *pedunculi* ſubæquales, ſubtus convexi ſupra plani, hoc eſt ſemiteretes, pedunculis unifloris. *Squamarum calycinarum* in unius pedunculi flore, par unicum; in alterius vero comparis duplex, inferioribus ſquamis e pedunculo continuatis. Hæ vero ſquamæ, perianthio duplo ſunt breviores, ſpinula præditæ acutiſſima, ſquamæ ipſi ſubæquali. *Perianthium* ipſum 5 linearum, ſtriatum albeſcens cylindraceum, ſuperius tamen paullo anguſtius, quinquefidum, laciniis acutiſſimis bili-

ne-

nearibus, erecto patulis. COROLLAM inodoram *petala* conſtituunt quinque, ſuperius tota candida, inferius ex albedine parum virentia, ſesquilineam lata, extra fauces tres lineas longa, utcunque obverſe ovata, *limbo* ſubrotundo ſerrato, denticulo extimo ſæpius breviori, verſus baſin *pilis* tenuiſſimis concoloris prædita. STAMINA 10, anguſtas extra fauces prominent, inter petala reflexa; *antheris* albis. GERMEN cylindraceo oblongum. STYLI duo hirſuti ſpirales, petalis æquales, extra fauces erecti prominent. PERICARPIUM quadrifariam finditur. SEMINA nigra ovato acuminata, hinc concava, illinc convexa, umbilico medio prominente.

Locus, tempus & obſervatio.

Reperimus die 24 Junii, in ſolo pingviori argilloſo, prope viam publicam inter Annelöf & Togarp, infra colles, proelio olim celebres, Rönneberga högar, dictos. Vix ſpecie diverſam putamus, a Diantho, quem p. 23. N. 16 deſcripſimus, niſi quod ſquamæ calycinæ hujus dianthi albo flore, binæ tantum in alternis floribus adſint, in Diantho autem rubro flore cōſtāter quatuor. De cetero, deſcriptionem, quam hic dedimus hujus Dianthi, valere quoque volumus de Diantho p. 23, N. 16 deſcripto, poſtquam in plurimis ſpeciminibus, cuncta accuratius licuit luſtrare. Synonyma quoque, ſic mutata & correcta volumus:

Tunica petalis ſerratis, in fine unguis lanuginoſis. Hall. Helv. p. 382, N. 6.

Betonica ſylveſtris flore ſimplici laciniato rubro. I. Bauh. III. p. 328. omnino ſpecimina minima ſerotina, iconem perfecte referunt.

An *Caryophyllus montanus multiflorus* Tabern. Ic. 289? Sic aliqua ſpecimina ſuadent. *Ga-*

Garyophylli ſylveſtres, Camerarii Epit. M. G. p. 185. Icon optima & indubia.

Obſerv. Diameter corollarum, 6 lineas æquat. *Petala* duas lineas plus minus lata, quandoque concolora, ſature & amœne roſea, macula unica vel fuſca vel alba, in medio notata, absque ulla animadvertenda lanugine. Quandoque pallide roſea ſunt, maculis ad baſin prædita, aliis ſature purpureis, aliis albis; lalanugine præterea tenui concolora obſita, inodora. *Anthera* cineritiæ vel liventes.

57. *Caryophyllus ſylveſtris alter, flore laciniato odoratiſſimo.* C. B. Hall. Helv. p. 382. N. 5. lit. β. c. deſcr. & p. 780. *flore albo.*

Caryophyllus ſylveſtris plumarius albus, Tabern. Ic. 289 & *Caryophyllus plumarius albus.* Ej. p. 286.

Locus, tempus & obſervatio.

Floret medio Junii in arenoſis ad Lackelänge, caule ſæpius unifloro. Sed reperimus quoque abunde inter Keflinge & Annelöf, ramoſo caule. Ubique vero gratiſſimum Caryophyllorum hortenſium odorem ſpargit, fauces que ſæpe macula virente diſtinctas, ſemper vero piloſas habet; florem ceteroquin candidum.

58. *Dianthus floribus ſolitariis, ſquamis calycinis ovatis acutis, corollis lacero partitis.* Lin. Sv. 344.

Betonica ſylveſtris altera. Fuchſii p. 353. bene.

Caryophyllus plumarius purpureo cæruleus. Tabern. Ic. 287.

Locus, tempus & obſervatio.

Provenit paſſim in Scania, v. g. prope Lundinum ad pagum Thorn; copioſius vero ad novam viam, quæ a publica, verſus prædium ducit Skarhult. A Julio menſe, ad Septembris usque finem hic floret, locis humidis potius quam ſiccis, qui & fiſtuloſo ac procero magis caule ſurgit; flore vero inodoro.

59.

59. *Stachys foliis lanceolato ovatis, verticillis tomentoſis.* Lin. H. Cliff. p. 310. N. 4. Ej. Fl. Sv. Præf. p. ;.

Stachys alpina betonicæ folio, flore Purpureo Dill. Celſii Upſ. p. 41.

Stachys foliis hirſutis ſpicam diſtingventibus, obſcuri coloris, imis cordiformibus. Hall. Helv. p. 642. N. 2.

Pſeudoſtachys alpina. B. P. 236.

Stachys minor foliis obſcure virentibus, flore ferrugineo. Moris. Hiſt. III. Sect. II. Tab. 10. fig. 11. pag. 382. commode.

Locus, tempus & obſervatio.

Media æſtate in monticulis lapidoſis ad Södra Rörum lectam, raram hanc plantam ad nos attulit Phil. Stud. Petrus Hellman. *Folia* ſuperiora ſerici inſtar tonſi mollia, pari quoque modo pulchre & varie reſplendent. Flores nondum vidimus.

60. *Antirrhinum foliis lanceolatis petiolatis, calycibus flores ſuperantibus.* Lin. H. Cliff. p. 324. N. 11.

Antirrhinum floribus ſparſis ſeſſilibus, calyce brevioribus, calcare deſtitutis. Hall. Helv. p. 615. N. 8.

Antirrhinum Quartum Camerar. Epit. M. G. pag. 416. Icon bona.

Obſerv. Flores ſeſſiles purpurei, labio inferiori circa fauces flaveſcente lanuginoſo, antheris luteis. *Germen & Pericarpium* ipſa quoque lanuginoſa.

Locus & tempus.

Ad Snareſtad, prope viam, quæ verſus mare ducit; circa finem Junii menſis, in agris avenaceis lectum; nobiſcum communicavit Med. St. Giſtrén.

DISQUISITIO, de ſtrage bovilla, quotannis circa Chriſtianſtadium obſeruata.

JNcolarum felicitatem, arte qvoque veterinaria plurimum niti, qvilibet facile judicaverit. Jn hac vero vix qvicqvam magis deſideratur, qvam morborum, qvibus afficiuntur pecudes, & plantarum venenorumqve morbos in illis gignentium ſcientia vera. Qvum anno præterito Chriſtianſtadii eſſem, in paſcuis pecudes qvotannis emori, ſummo cum incolarum, pauperum vero præcipuo qvodam detrimento, inaudivi. Hinc in rem penitius inqvirere occaſio tulit, qvam & faciliorem nactus fui, poſtqvam Mercator honeſtis: Michael Plattfues, in luſtrandis pascuis, tam Chriſtianſtadii qvam pagi Hærlœf facilis mihi comes eſſet. Re igitur per illum aliosqve uberius cognita, mearum duxi partium de morbo iſtoc, qvid cogitarem pronunciare. Minime, qvod mea jam opera confectam rem putarem, ſed qvod ſic oculatioribus ſtimuli adderentur, qui in auxilia inqvirant mali, patri-

æ non ſecus ac urbi damnoſi. Id vero unum hoc opere præſtitiſſe me reor, qvod incolas docuerim, morbi cauſſam ignotam illis adhuc eſſe, qvodqve inſons omnino Phellandrium ſit, qvotannis e paſcuis extirpatum. Si qvid ultra lucis rei affuderim, tanto mihil illud gratius erit, qvo propius ab anniverſaria hac ſtrage liberari urbs poterit.

§. I.

Paſcua Chriſtianſtadii pagiqve Næſby, ſeptentrionalem occupant plagam urbis pariter ac amnis, Helge Å-dicti. Fertile videntur tenere ſolum, qvod terra atra cum argilla commixta plurimis locis conſtat. Sub his vero ſæpe marga latet, cujus ſtrata tantillo arenæ volatilis diſtingvuntur. Paſcuorum plurima pars paludoſa eſt, vere & autumno aqvis inundata, ut lacus præ ſe ſpeciem ferat. Qvum enim iis tempeſtatibus e Smolandia vicinisqve locis in fluvium Helge Å affatim confluant aqvæ, propter anguſtum fluvii in mare circa Åhus ægre ſemet infundentis oſtium, redundantes; proximum eſt, apertos, qvi Chriſtianſtadium circumdant, campos inundari. Id qvod eo citius contingit, qvod flumen ipſum ſponte natura plurimis locis dilatatum, lacus complures conſtituat. Qvæ autem ſic, hyeme qvoqve campos inundant aqvæ, vere ſenſim ſubſident, ut per æſtatem ſpacioſa ſatis paſcua evadant, ab aqvis ſic qvidem ſatis libera; lacunas ſi exceperis & foſſas aliqvot, paſcua percurentes; æſtate vero e conſortio fluvii divulſas, ſtagnantium adeo aqvarum fomites.

§. II.

§. II.

Qvum ergo is Paſcuorvm ſitus ſit, plantæ qvoqve in aqvis & uliginoſis locis naſcentes, potiſſimum hic proveniant neceſſe eſt; qvarum qvidem ſeqventes Julio menſe reperimus. Aliſma ſeu Plantago aquatica, ſvecis Stækra dicta Lin. Sv. N. 300. Apium 248. After luteus major foliis ſucciſæ C. B. Bidens Lin. Sv. 663. Butomus 328. Conferva reticulata 1025. Erigeron 693. Galium 119. Hydrocotyle 221. Iacobæa foliis longis integris & mucronatis Moriſ. Lyſimachia Lin. Sv. 166. Lepidium 534. Linum Catharticum 255. Lythrum 353. Mentha 481. Myoſotis 149. & 150. Myriophyllum 782. Oenanthe 236. Perſicaria acida Iungerm. Lin. Sv. 318. Peplis 291. Phellandrium 238. Ranunculus 458. Sagittaria 780. Sparganium 770. Sium 235. Sium aquaticum procumbens ad alas floridum Moris. Sium minimum foliis imis ferulaceis, Moris. Stratiotes Lin. Sv. 444. Subularia 527. Veronica 9. Neqve tamen dubitamus & plures qvoqve hic plantas naſci, in qvas, ſcapha deſtituti, temporis vero etiam anguſtia circumſcripti, hac vice non licuit inqvirere.

§. III.

Qvoniam paſcua pagi Hârlôf, ſolum flumen a paſcuis Chriſtianſtadii diſtingvit; ea qvoqve luſtrare e re duximus. Et reapſe etiam cum paſcuis Chriſtianſtadii ſ. 1. ad modum conveniunt, niſi qvod ſolum minus ſit pingue, nec uibiqve æqve uliginoſum; lacunis qvoqve paucioribus & aliter comparatis præditum. Hinc etiam Myricam Linn. Sv. 817. Menyanthen. 163. Ranunculum 457. & Utriculariam 24. circa Chriſtianſtadium

 non

non repertas, hæc gignunt paſcua. Phellandrium vero Lin. Sv. 238. & Ranunculus 458, hiſce quoqve naſcuntur locis.

§. IV.

Ab incolis pagi Hærlóf ſciſcitando comperimus, raro vel nunqvam emori in illorvm paſcuis §. 3, pecudes; qvarum vero ingens numerus, qvotannis circa Chriſtianſtadium (§. 1. & 2.) perit.

§. V.

Hujus autem ſtragis ſeqventem obſervavimus rationem:

1) Duravit poſt hominum memoriam morbus, qvi augeri potius videtur qvam imminui.

2) Vix unqvam ante medium Iunii morbus incipit, perdurat vero Iulio menſe; decreſcit & deſinit medio auguſti.

3) Vaccarum & boum plurimus hinc perit numerus. Poſt hos eqvi & oves; minima vero moriuntur copia vituli, ſues ac anſeres.

4) Per æſtates ſiccas ac fervidas, gravius affligit morbus, qvo etiam tempore 70 ad 80 usqve pecudes compertum eſt periiſſe. Qvod ſi vero humida æſtas fuerit, minus moriuntur, viginti tamen vel triginta, vix unqvam pauciores.

5) Qvæ in paſcuis urbis enutritæ ſunt pecudes, æqve cum illis, qvæ ex alienis iſtuc adducuntur locis, cito pereunt.

6) Qvæ retrimentis, poſt coctionem cereviſiæ & Spiritus vini reſiduis, non aluntur pecudes, æqve obnoxiæ morbo obſervantur, ac illæ, qvæ ejusmodi fecibus nutriri aſſveverunt.

7) Contagioſus minime morbus eſt, adeoqve plurimum a peſte bovina, qvæ per Scaniam alias graſſari ſolet, diſtat.

8) Vaccam in paſcuis propediem ægrotaturam, ſatis exinde præcipere licet, qvod lactis in ea imminuatur proventus.

9) Qvandoqve autem prævideri nulla ratione mortus poteſt. Bovi enim paſcenti derepente collum retorqvetur, os ſublime fit, inſeqvitur mox totius corporis tremor, indeqve corruentes, exſpirant unis vel pluribus præterlapſis horis.

10) Caput & collum qvibuſdam pecudum valde tumet. Tumor autem is, poſt mortem diſſectus, ſaccum pugno ſæpe majorem deſignat, fundentem lympham vel flaveſcentem vel virentem. Hic qvidem gelatinoſo repletus humore ſaccus, verſus aſperam arteriam & ipſum deniqve pectus cuniculos qvandoqve agit. Neqve tamen ſic, humoris aliqvid, ante mortem ex ore pecudum effluit.

11) Morbum ultra nychthemeron ſuſtinere qvædam poſſunt, pauciores vero per aliqvot dies.

12) Alimenta & potulenta, durante morbo, qvædam deſiderant, qvædam vero reſpuunt.

13) Jn ventriculo & inteſtinis, vix vitii qvidqvam reperire licuit; collectionem vero flaveſcentis & gelatinam referentis lymphæ, alicubi plerumqve cadavera exhibuerunt. Hujus qvidem cum in collo freqventiſſima fuerit ſedes; tum inter armos etiam nidum qvandoqve fixit. Quin & quæ iſtuc tendunt venæ, hiſce ſæpe compreſſæ viſæ ſunt tumoribus; qvale qvid in venarum alterutra ſanguine coagulato plena, laudabili obſervavit induſtria, urbis Chirurgus, Dominus Jungberg. 14)

14) Qvin & ſæpe maculas flavas virides & nigras, globulorum vel grandinum inſtar minutorum, cor, pulmones vel hepar compertum eſt occupaſſe.

15) Jn qvibusdam pecudum diſſectarum, magna aqvarum vis ad ſitulas uſqve plenas, reperta fuit. Neqve tamen ſic, hydrope mori pecvdes incolæ facile conſentiunt.

16) A morte qvidem multum intumeſcere cadavera, negant.

17) Qvi cadavera diſſecat & deglubit pecuarius, neqvicqvam inde incomodi ſentit. Qvæ etiam, cito ſi fuerint mortuæ, indeque ſtatim diſſectæ, vix obſervantur fœtere.

18) Eqvis morbo correptis, collum perinde plerumqve ac bobus intumeſcit No. 10. & 13. Accedit qvoqve cum anhelitu, rhonchus.

§. VI.

Qvæ morbo corripiuntur pecudes, raro evadunt. Si vero alvi his profluvium contingat, ſalutis id ſpem non obſcuram fovet.

§. VII.

Certa huic malo medicina, reperiri hucuſqve neqvivit. Setaceum vero Scanis *simme* dictum, collo vel præcordiis admotum, iis, qvibus per morbum collum intumuit, opem ſæpe tulit: Sic qvoqve evacuantia qvævis, auxilio fuiſſe videntur: qvo etiam relatum volunt pyrium pulverem cum cereviſia initio morbi datum, qvi ubi alvum duxerit, nonnihil videtur præſtitiſſe. Nec iners fuit habitum, vaccæ ægrotantis ipſius lac, in domando, qvod perhibetur veneno.

§. VIII.

§. VIII.

Nec remiſit morbus, qvamvis interdiu, calore urgente, domi retentæ fuerint pecudes, ſub noctem demum in paſcua ductæ. Ea qvidem hoc factum eſt opinione, ut ripas lacuumqve ſinus, venenatæ, qvæ putatur herbæ feraciſſimos, avide minus peterent.

§. IX.

Contendit qvoqve Pecuarius, non minus ſæviiſſe morbum, qvamvis a foſſis & lacunis, qvæ in paſcuis adſunt, pecudes arcere allaboraverit, easdemqve ad ripas præterlabentis amnis duxerit aqvandas. Urgent vero contra plurimi, pecudes calore agitatas, ſitim in lacunis primum obviis exſtingvere ſolere; qvod gramina & ſcirpi, ſinus, qvos flumen format, per 70 ſæpe paſſus occupent, aditum ad ipſum amnem ideo reddentes difficilem.

§. X.

Vulgaris in urbe opinio eſt, e Phellandrio Lin. Sv. 238. ad ripas lacuumqve ſinus affatim naſcente, emori pecudes. Alii vero vermiculos, ac hirudines, qvæ in caule craſſo Phellandrii nidulantur, tantæ ſtragis cauſam putant. Nituntur illi experimento, qvod in duobus vitulis inſtituit olim Medicus Ammiralitatis, Dominus Doct. Rollin. Fame enim ut herbam comederent vitulos coëgit, qvorum unus qvidem mortuus fuit, alter vero in vivis manſit. Hoc nixi fundamento incolæ, ſtata qvotannis tempora eradicandæ huic herbæ, ſanciverunr. Qvamvis vero hoc modo herbæ proventus admodum fuerit imminutus; mori tamen nihilominus pecudes æqve ac ante ſolent. Qvin

&

& abunde præterea patet, mortis cauſam in iſthac non latere herba. Naſcitur enim eadem copioſe ſatis in paſcuis pagi Hærlöf, trans ripam ejusdem amnis. Qvam qvidem & nos ſatis hic fuiſſe præmorſam vidimus, abſqve minima his in locis obſervata pecudum ſtrage. Neqve confecta adhuc res eſt, venenatum Phellandrium eſſe, cujus contra ſemina hominibus eqvis ac pecudibus medicinæ loco eſſe, in ſuo de Phellandrio tractatu Ernſtingius monſtrat; qvi & in his conſentientem ſecum celeberimum Heiſterum habet. Qvin & Celer. Archiater Linnæus in itinere ſuo weſter Gothico p. 48 vaccis & armentis noxium non eſſe Phellandrium admittit, qvamvis eqvis id ipſum venenũ ſit, ruſtico qvodam teſte. Atamen datum illud etiam eqvis abſqve damno fuiſſe, certo novimus. Hinc tuto qvoqve concludi poſſe videtur, qvam in exſtirpanda hac herba operam ponunt incolæ fruſtraneam eſſe; qvemadmodum experimentum per D. D. Rollin. in binis inſtitutum vitulis, nec id qvidem venenatum eſſe Phellandrium evincit. Qvo enim juniora ſunt animalia, eo qvoqve minus tolerare famem poſſunt. Qvare etiam e Phellandrio vitulorum alter haud aliter videtur mortuus, ac fieri de hominibus ſolet, qvi poſt diutinam toleratam famem ægrotant ſæpe vel moriuntur, nimiis vel fortioribus potiti cibis. Qvod ad nigricantes attinet vermes vel hirudines, in herba iſthac craſſiſſimo præditam caule, circa Chriſtianſtadium reperiundas; nec ſic qvidem venenatum eſſe Phellandrium, in laudati nuper Ernſtingii tractatu videre licebit. Qvæ ergo hirudines non magis hic, qvam alibi fieri ſolet nocere poterunt. Addere qvoqve tandem pecuarii ipſius teſtimonium licebit, qvi, qvibus maxime veſcantur gramini-

minibus & herbis pecudes, optime videt. Affirmat vero is, ex Phellandrio non mori armenta.

§. XI.

Poſt hæc §. 10, ſuſpicio ſtragis, qvæ contingit bovillæ, proxime videtur cadere in Ranunculum, flammula dictum, Linn. Sv. 458; ſvetice vero ålte-gräs appellatum. Js enim non minus ac Napellus, guſtantis mordet lingvam, contuſus vero & corpori applicatus nihilo ſegnius veſicas excitat ac Napellus, de quo teſtatur Galenus (a); vel cantharides, de qvorum efficacia indies edocemur. Qvod vero venenatus qvodammodo Ranunculus ſit, inflammationes internas producat, oveſqve præcipue interimat, Lobelius (b); Joh. Bauh. (bb), & Lindeſtolpe (d), ſuis affirmant teſtimoniis. Hic vero Ranunculus, copioſe adeo in paſcuis Chriſtianſtadii provenit, arcteqve adeo reliqvis intricatur graminibus, ut vix ora paſcuis admovere armenta qvean, qvin aliqvid ſimul hujus ranunculi ſeqvatur. Hinc in eandem qvis facile incideret opinionem, qva fuerit is, qvi coram Regia Academia Scientiarum, oſtendere conatus eſt, eſſe ranunculum hunc illud venenum pecudum, qvod Sveci vocabulo Ståkra exprimunt, cujus rei mentionem facit celeb. Archiater Linnæus, in itinere Suo W. gothico pag. 47. Poſtqvam vero propriis oculis viderem, pecudes ranunculo iſthoc absqve evidenti aliqvo damno veſci, in paſcuis pagi Hærlöf, qvæ ut rem

K pe-

(a) Lindeſtolpe de venenis p. 397.
(b) In adverſariis pag. 299.
(bb) Hiſtoria plantar. Tom III. p. 484.
(d) De venenis p. 393.

penitius cognoſceremus, una cum comite noſtro luſtravimus; de ſuſpicione venenatæ indolis Ranunculi, aliqvantum nobis deceſſit. Obſervatione tamen dignum cenſemus, pecudes, occaſio dum tulerit, ranunculum; hunc ſatis evitare, id qvod apparuit in exſiccatis ranunculi cauliculis & ſtolonibus, affatim in paſcuis reperiundis, qvos cum reliqvo gramine evulſos, ex ore poſtmodum rejecerant. Qvin & ideo, loca ranunculi hujus feracia, elatiori copioſioriqe gramine abundarunt, cum editiora contra loca, penitiſſime depaſtæ fuerant pecudes; evidenti utiqve teſtimonio, qvod mixta ranunculo gramina, neceſſitate demum urgente placeant, ut id ipſum paludes qvævis obviæ, qvotidianis evincere poterunt teſtimoniis.

§. XII.

Stagnantes aqvas venenatam facile contrahere indolem poſſe hiſtoriæ abunde docent (a). Retulit nobis Collega noſter, Dominus Profeſſor Liedbeck, reperiri in Wiſingia lacunam a Ieru Barthel nomen ſortitam, unde Iunii Iulii & Auguſti menſibus arceri pecudes debeant, ea tempeſtate inde ſi biberint, morituræ. Cum Albis fluvius & Moldau, vere alveos tranſcenderent, & ſubſidens aqva lacunas hinc inde redderet ſtagnantes; plurimæ ab æſtivis caloribus agitatæ pecudes, iſta pota aqva, viſæ ſunt periiſſe (b). Atqve in paſcuis Chriſtianſtadii, idem qvoque obtinet ſitus. Nec obſcura

(a) conf. Diſſert. de aqua utili & noxià; ſub præſidio Collegæ honor. Dom. Prof. G. Harmens, nuper habita; & Lindeſtolp. de Venenis p 802.

(b) Büchneri Miſcel An. 1736. p. 693.

ra ratio eſt, cur putemus ſtagnantes has aqvas, tanto magis nocituras, qvod denſiſſime illas occupet Sagittaria, Linn. Svec. 780. Sparganium 770 & Aliſma 300. Harum qvidem priores binas ſpecies, præcipue qvidem a pecudibus præmorſas hic vidimus. Cum vero, herbæ hæ aqvaticæ, ipſæ ſint acres (c), aliſma vero, pantago aqvatica dicta, non minus qvam ranunculus veſicas excitet, venenata ſit, vaccasqve enecet (d); non ab aqvis ſolum ſtagnantibus perire videntur pecudes; ſed ab ipſis qvoqve noxam aliqvam contrahere herbis. Meminiſſe qvoqve juxta oportet, in paſcuis pagi Hærlös, herbas haſce, raro vel parce admodum provenire, qvamvis ſtagnantibus aqvis nec ea plane ſint deſtituta paſcua. Qvin & faciliorem hic, qvam circa Chriſtianſtadium, ad limpidas fluvii aqvas acceſſum habere videntur pecudes. Ultimo qvoqve, pecuarii adducere licebit narrationem, affirmantis, rarius perire pecudes qvæ in ſcirpis aqviſqve fluvii freqventius ſoleant paſci. Hæc, qvamvis iis, qvie Phellandrio in aqvis naſcente mori pecudes exiſtimant, abſurda appareant; ſuo tamen non deſtitui videntur fundamento. Periculum enim, ſtagnantium potandarum aqvarum jure vero ſuſpectarum, præ ceteris ſic ſatis evitant.

§. XIII.

Ros melleus, qvem collectionem eſſe minutiſſimorum inſectorum Leewenhoeck exiſtimat; (a) pingvedinem ve-

(c) De Sagitaria conf. Hall. Helv. p. 300.
(d) Halleri H. Fl. elv. p. 300, & Lindeſtolpe de venenis p. 377.
(a) Arcan. nat. Epiſt. 104.

vero vel ſuccum, ſolis calore ex herbis expreſſum nonnulli putant; vapores autem e terra excitatos, iterum vero in herbas relapſos, alii judicant: (b) ſæpe qvoqve pecudibus, teſte Ramazzino, (c) venenatus habetur. Armentorum qvoqve morbum Büchnerus (d) recenſet, ſatis etiam illi, qvi circa Chriſtianſtadium contingit, ſimilem. Hujus cauſa mali in rore ponitur melleo, per diuturnum, absqve pluvia æſtatis calorem, collecto. Qui qvidem imbribus tandem ablutus, inqve lacus piſcinaſve confluens, non armenta ſolum inde potantia, ſed ipſos adeo enecuit piſces. Jn rem ergo diligentius inqvirere tanto magis viſum fuit, qvod & inter vulgus narratiuncula vagaretur: Draconem inter arces Hamar & Lillo jam dirutas oberrantem, ſuum in paſcua Chriſtianſtadii ſpargere virus. Veritatem ſub fabula hac aliqvã cogitatum aſt latere. Originem enim venenati aconiti deſcripturus Ovidius; (e) Cerberum in campos virides ſpumam ſuam eructantem incuſat. Neqve tamen qvantavis adhibita diligentia, rorem melleum circa Chriſtianſtadium viſum fuiſſe, reſcire licuit; qvem & probe ſe cognoſcere, ſcanis vero Nimmerdygg dici, circa Chriſtianſtadium autem neutiqvam reperiri, pecuarius affirmavit.

§. XIV.

Neqve præter ea, qvæ huc usqve §. 10. 13. recenſuimus, reperire qvicqvam ultra licuit, qvod veri aliqva ſpe-

(b) Annal. Uratislav. A. 1718, Claſſ. IV. p. 959.
(c) Diſſert. de conſtitutione A. 1690.
(d) Miſcell A. 1729. p. 689.
(e) Et ſparſit virides, ſpumis albentibus agros. conf. Lindeſtolpe de Venenis p, 396.

ſpecie mali reputari cauſa poſſet. Apium Linn. Svec. 248. parca adeo in foſſis urbis copia provenit,ut vix inde damni qvidqvam redundare poſſe videatur. Herbarum fere venenatiſſimam, cicutam aqvaticam Geſneri Lin. Sv. 239. Svecis Språngört dictam, offendere hic neqvivimus. Remotius tamene continenti, naſci illam in aqvis poſſe, ubi ſcapha deſtitui qværere vix licuit,non plane negamus (a). Repugnat vero non tantum pecuarii narratio, ſed ſymptomata qvoqve mali, circa Chriſtianſtadium obſervati, collata cum ſignis ſtragis bovillæ,a Celeb. Archiatro Linn. in flor. Lappon p. 17 Tornoæ,ineunte vere obſervatæ,per cicutam aqvaticam vero excitatæ, non ſatis Simul videntur qvadrare. Nec oenanthes Linn. Svec. 237, venenatam ſpeciem, offendere circa Chriſtianſtadium licuit; nec corrumpentem paſcua *Gratiolam*,in Svecia qvidem nondum inventam. *Sium minimum Raji*, qvod in peninſula Jſternæſet reperimus, ante vero in Svecia nunqvam, pauciſqve alibi locis fuit inventum, eo nobis ſuſpectum magis viſum eſt, qvod cognatione, cicutam aqvaticam prope contingat, eoqve præciſe dum moriuntur maxime pecudes, tempore floreat. Accedit, qvod, pecuario teſte,iſthoc loco ſæpe adeo morbo corripiantur pecudes;qvodqve a prato depreſſo Blackema dicto,per ſtragem qvoqve bovillam deteſtabili, dimidio tantum Fluvii, iſthæc diſtingvatur peninſula. Experimenta ergo cum herbis hic naſcentibus §. 2. aqvisqve per paſcua ſta-

(a) Venenatam hanc herbam non in paſcuis; ſed extra ea, inter prædium Râbeløef & Chriſtianſtadium, in rivulo reperit. Phil. Mag. & Adjunctus D:nus. Burmeſter.

ſtagnantibus, inſtitui ut curarent incolæ, admodum foret optandum. Qvæ enim herbarum aqvarumqve in pecudes effectus expendere ſcientia deberet, nimium neglecta hucusqve fuit, *latetqve ſæpe*, teſte, de ſecalis qvibusdam noxiis granis Boerhavio (a) *deleteria vis in ejusmodi rebus, de qvibus nemo cogitaſſet unqvam.* Qvod ſi experimentis ſic inſtitutis, perderentur pecudum aliqvot, ſtragis ſic bovinæ cognita haberetur cauſa, facile tum forte removenda; ſin minus perirent, tantillo labore, ſibi qvis reiqve publicæ, ſcientiam aqvireret perutilem.

§. XV.

Vero autem maxime videtur ſimile, nec ab herba aliqva venenata, nec ab aqvis ſtagnantibus ſolis, aliqva forte ratione removendis, derivari ſtragem bovillam debere; qvin potius oriri illam juxta ab acribus hic inqve depreſſis pratis naſcentibus aqvaticis plantis, aqvisqve ipſis ſtagnantibus: qvibus dum aluntur pecudes, ſangvis ſenſim, usqve dum mors ſubſeqvatur, videtur corrumpi. Morbi ipſius indoles §. 5. ſententiam hanc noſtram non parum confirmat. Ecqvid enim veſiculæ, cor hepar ac pulmones pecudum occupantes §. 5. N. 14. aliud deſignant, qvam corruptam lympham eſſe? Tumores colli aliarumqve partium, §. 5 N. 13. hydropē, utiq:, partialē deſignant. Imo vero pecudū aliquot diſſectæ, hydropē illis mortiferam fuiſſe, evidenter docuerunt §. 5. N. 15. Neqve tamen peculiarē ejusmodi hydropem, excitari veneno poſſe, negamus. Anteqvam autem qvid ſit illud, monſtrari qveat; opinionem

(a) v. Swietens comment. Tom. 1. p. 753.

nem hanc noſtram, non facile qvis impugnaverit. Sanguinem enim pecudum, alimentis minus idoneis corrumpi, pro certo erit habendum. Jta qvidem in Livonia (a), A. 1727, contigit, per æſtatem ſanas viſas pecudes, intra ſpatium horarum 24, in paſcuis derepente corruere, poſt toleratam hyeme famem, & gramina primo vere exſucca devorata. Earum qvidem cor ac pulmones hydatides, flaveſcente pituita plenæ, perinde ac circa Chriſtianſtadium contingit, viſæ ſunt occupaſſe. Ex eadem qvoqve cauſa multæ admodum Brandenburgico in ſolo conciderunt pecudes, qvare paſcua locorum omnium, ſicca urgente æſtate, aqvis providere limpidis, regio fuit ſancitum edicto (b). Qva ergo ratione circa Chriſtianſtadium morbus oriatur, facile quis ſic poterit colligere. Poſtqvam enim pecudes, herbas acriores, ranunculum vero præcipue aſſumſerint; non inde minus, qvam æſtatis fervore ſitis oritur vehemens, pecudes, ut in aqvis primum obviis, iisqve ſæpe noxiis §. 12. ſitim exſtingvant, impellens. Ex hac herbarum aqvarumqve acrimonia, in pituitam tarde circulantem, bonus earum ſangvis videtur reſolvi. Sic qvidem pecudes corpus favere, pingveſcere ac bene habere judicantur, qvæ tamen fomite iam morbi contracto, cachexia laborant. Cuncta autem iſthæc, cum iisdem in dies alantur armenta, paſcuis augentur; ut vel rumpantur inde vaſa lymphatica, vel in celluloſa cavitateve aliqva coacervetur lympha, vel propriis deniqve folliculis incluſa, Hydatides dictas conſtituat. Qvod ſi

(a) Büchneri Miſcel A. 1727. p. 140.

(b) Annal. Vratiolav. A. 1719. Jun. p. 677, 678. Sept p. 320.

ſi ad cor, pulmones,hepar,majorave vaſa, iſthæc contingant; circulum inde ſangvinis ſuffocatum ſiſti,morte ſubſeqvente ſubitanea,facile qvis viderit. Minus autem hoc ipſum vitulis pecudibusqve junioribus contingit, id quod humoribus earum per naturam gelatinoſis,vaſis vero laxioribus magisqve cedentibus,poterit tribui.Hydropis tandem ſpecie aliqva,pecudes mori,& maculæ vel veſiculæ in corde aliisve partibus obſervatæ evincunt;qvæ cum fætore deſtituantur, collectam potius lympham,partes vitales ſuffocantem, qvam qvidem inflamationem præviam indeqve ſubſeqventem corruptionem, deſignant.Hæc ita comparata eſſe,facile intellexerit, qvi hydrope mortuos conſvevit ſecare. Tandem, nec fortius aliqvod venenum malo videtur originem dediſſe,qvod in ventriculo & inteſtinis nil vitii inflamationisve veſtigium hactenus obſervari potuerit; niſi aqvam forte volueris putridam, quæ in ipſum ſangvinem cito ſatis penetrans, vim ibi exſeruerit venenatam. Ultimo qvidem monere licebet, hydropem, qvandoqve qvidem ſubito ex potu frigido,corpore callente aſſumto naſci ſolere; ſæpiſſime tamen ſenſim in corpore generari. Hinc deduci ratio poſſe videtur, cur ingreſſæ paſcua pecudes, non ſtatim ſed tractu demum temporis, ex qvo herbas aſſumſerint acres, morbo corripiantur. Tempus enim, anteqvam ſangvinem corrumpere herbæ poſſint, qvædam reqvirunt; qvemadmodum de Aconito Theophraſtus teſtatur (a), temperari illud ita poſſe, ut longo qvoqve, ex qvo aſſumtum ſit, tempore interimat.

§. XVI.

Qvod ſi ex herbis acrioribus, per prata paludoſa na-

(a) Lindeſtolpe de venenis p. 802.

naſcentibus, malum oriatur, quam ſit illud avertere difficile, facile poterit judicari. Paſcua enim fodiendo foſſaſqve ducendo, elatiora durioraqve reddere, quemadmodum in Jtalia, Hollandia, alibiqve factum eſt, (a) omnium quidem foret conſultiſſimum, hic vero nimis forte ſumtuoſum. Nimium qvoqve foret incommodum, per æſtatem domi retinere armenta, & reſecta in paſcuis falce gramina, qvemadmodum apud exteros ſæpe fit, illis præbere; qvo quidem modo noxia qvæ forent, poſſent ſeligi. Foſſam autem, qvæ per paſcua ad lacum prædii Hammar tendit, fodiendo puram reddere, non difficillimæ operæ negotium foret. Qva qvidem opera non herbæ minus exſtirpari noxiæ §. 12. poſſent quam ſtagnantes aqvæ & lacunæ iſthuc non modo derivari, ſed & fluentes reddi poſſe viderentur.

§. XVII.

Proximum autem foret, de ejusmodi cogitare mediis, qvæ ita diſponere pecudum corpora poſſent, ut minus paſcua nocerent. Primum ergo omnium, ſtatis diei temporibus ad limpidas fluvii aqvas deduci pecudes deberent. Poſt hæc, quinto qvovis vel ſexto mane, halec pice liqvida tinctum, præberi illis poſſet. Ea enim ratione ventriculus roboraretur, ſuperflui vero collecti ſimul evacuarentur humores. Qvin & exteris locis, experientia comprobatum eſt hoc genus medicamenti, ut videre eſt, in actis Vratiſl. A. 1719. menſis Sept. p. 320. Nec eundem in uſum, ſeqventem ineptam judicarem formulam. Recipe Radicis Gentianæ, Petaſitidis, Vincetoxici, Singularum unciam: Foliorum

L

(a) Lindeſtolpe de Venenis p. 802.

rum myricæ, Seſcunciam: Trifolii aquatici, Cardui benedicti, ſingulorum uncias binas: Baccarum Juniperi uncias qvatuor: Baccarum Lauri, unciam. Contundantur in pulverem, miſceantur, cumqve farina avenacea & aqva ſimplici vel muriatica fiat paſta, in clibano tantillum ut cohæreat, coquenda, poſtquam formati inde ante fuerint panes minuti, in modum biſcoctorum. Hujuſmodi panis, plus minus biuncialis muria maceratus, ſemel aut bis per ſeptimanam ſingulis pecudum, qvamdiu metus morbi urgeat, præbeatur.

§. XVIII.

Quod ſi vero jam ægrotet pecus, tumor vero in collo appareat, ſetaceum experientia ſtabilitum §. 7. absqve mora adhibeatur. ut comprimens laryngem venaſqve jugulares aqua, cito effluat. Sed & clyſter ſimul vel liquidus vel fumo foliorum nicotianæ paratus inijciatur, dum ori infunditur potio ex radicis Rhei uncia, vel ſemuncia, in aqua avenacea muria mixta, parata. Sequente autem die laudatorum ſuperius panum unicum §. 18. uſurpari mane, ſingula vice & veſperi poſſet. Jdoneum quoqve foret ex radicis trifolii aquatici manipulo, foliorum vero ejusdem manipulis binis aut tribus, baccarum deniqve juniperi contuſarum manipulo uno, decoctum parare, colaturæ vero ejus dimidiam partem, quotidie pecudibus usqve dum ſanatæ fuerint, præbere. Si vero tanta incipientis morbi vis eſſet, ut citæ foret metus mortis; præter jam laudata, drachmæ binæ vel unciæ dimidium Victrioli depurati, admiſceri Rhabarbaro poſſet, quo citius ſic a nobilioribus partibus ad inteſtina derivari lympha poſſet. Atqui hæc quidem ea ſunt, quæ pro cognta hucusqve morbi indole, proponi a nobis, nixa rationibus auxilia potuerint.

✲ ✲ ✲

Addenda.

Pag. 4. lin. 21. *adde*: Provenit quoque in dumetis, inter Helſingburgum & Pâhlskiöp.

- 7. Poſt N. 5. interſeri debet:

Androſace foliis lanceolatis dentatis glabris, perianthiis corolla brevioribus, angulatis. Lin. Sv. 160. *Androſace montana flore minori.* Buxbaum. A. Petr. II. p. 369. Tab. 23. fig. 2. Icon quantum ad flores, non bona. Et Haller. Flor. Jen. Rup. p. 16. & 17. cum deſcriptione.

Deſcriptio.

Radix alba, perpendicularis conica, parum fibroſa. *Foliorum* ordo raro ſimplex, ſæpius autem multiplex, ut in Chamæjasme Alp. Joh. Bauh. III. p. 869. *Caulis* teres, nudus parum viloſus, ab una ad ſex uncias aſcendens. *Involucrum* univerſale folia conſtituunt plura v. g. 13, bilinearia, lanceolata integra. *Radii* umbellæ, vel ſi mavis, *pedunculi*, quaquaverſum diſperſi, ſemunciales, plus minus, fere totidem, quot ſunt foliola involucrum conſtituentia. *Perianthii* acuti angulos quinque virentes, connectunt membranulæ virore magis palleſcente. *Corollæ* monopetalæ *tubus* ovatus vel ſphæricus, ſtaminibus atque piſtillo, ut aſſolet. *Fauces* peranguſtas *glandulæ* quinque flavæ evidentiſſimæ, acus vulgaris caput diametro æquantes, circumſtant. *Limbus* corollæ quinquepartitæ planus, laciniis obtuſis & velut truncatis: quandoque integris, quandoque eroſis, quandoque in majoribus ſpeciminibus emarginatis. *Capſula* globoſa ca-

 lyce

lyce comprehenſa. *Odor* florum in ſertum collectorum, Stœchadis citrinæ.

Locus Tempus & Obſervatio.

Naſcitur abunde in campis arenoſis, inter Wramm & Chriſtiandium. Longe vero adhuc copioſius provenit, inter diverſorium Lyngby & prædium Hwitskiöfle. Floret menſe Aprilis & Maji. Glandulis, quas habet, odore non obſcuro, & ſtatura ſæpius magis procera, differre videtur ab Androſace, quæ in Lapponiæ alpibus & Upſaliæ collibus provenit.

- 8. ante N. 7. poni debet:

Campanula caule angulato, floribus ſeſſilibus, capitulis terminatricibus. Lin. Sv. 182.

Symphytum Petræum I. & II. Tabern. Ic. 560 & 561.

Locus & Tempus.

Creſcit abunde ad viam publicam inter Helſingburgum & Glumslöf, Julii & Aug. menſibus florens.

Pag. 36. lin. 7. *adde:* Creſcit quoque alibi per Scaniam frequens v. g. ad Roſlätt & Marſwinsholm.

- - 16. Poſt CAULES, *adde*: proprio ſemet robore ſuſtentantes.

- 37. lin. 14. Poſt Plures, *adde*: recentes purpuraſcentes, ſiccati -

- - lin. 17. poſt latæ, *adde*: rectæ.

- - - 22. poſt reſplendentem: *adde:* ut ſericeo villo, minutiſſimo tamen & tactu facile obliterando, obductum appareat.

- 38. lin. 6. *adde:* Sed & alibi per Scaniam non infrequens eſt, v. g. in clivo herbifero, prope fluvium

vium, qui inter Keſlinge & Annelöf decurrit. Naſcitur quoque in ſylva ad Sölvâkra & Waſaholm, prope agros. In Hallandia vero, per collem, prope hortum prædii Sperlingsholm ſitum provenit. Quæ ad Haſſelmœlla naſcuntur ſpecimina, altero ex quo lecta fuerunt die, gratum, ſed debilem primulæ veris vel meliſſophylli odorem ſpirarunt Quædam tamen ſpecimina inodora erant. Quo magis autem hirſuta folia, eo certius obſervata fuerunt odorifera.

\- 40. l. 14. *adde:* Creſcit & alibi frequens, per Scaniam & Hallandiam, caule ad baſin quandoque piloſo hiſpido.

\- 49. Poſt allatum; *adde:* millefolium.

\- - l. 18. *adde*: Provenit quoq; extra Helſingburburgum, alibique per Scaniam; in Hallandia vero ad prædium Sperlingsholm.

\- 61. lin. 3. *adde:* Naſcitur quoque in agris arenoſis ad diverſorium Lyngby.

Emendanda.

Pag. 4. lin. 9. ſquamis & pilis. *lege:* Squamis.

\- - 27. non frequentiſſimo. *lege:* quoque frequentiſſimo.

5. - 10. diformis. *lege:* difformis.

6 - 4. hiſutus. *ldge:* hirſutus.

7 - 21. & ad. *lege.* &.

9 - 14. petioli. *lege:* rami florigeri.

12. - 15. hyenem *lege:* hyemem.

12. - 27. Theophraſtoqui; *lege:* Theophraſto, qui.

14. - 31. ſæpe; *lege:* frequentes.

15. - 16 & 17. implicatiores. *lege :* implicationes.
16. - 11. filiorum. *lege :* foliorum.
- - petioli. *lege :* pedunculi.
22. - 3. Sv. 277. *lege :* Sv. 267.
23. - 14. ſemprojecti. *lege :* ſemiprojecti.
36. - 18. tantillum. *lege :* quandoque.
37. - 13. parum angulati. *lege :* ſubſtriati.
- - 15. vix. *lege :* aliquantum.
- - 18. oblogo. *lege :* oblongo.
44. - 5. natantibus. *lege :* nutantibus.
51. - 18. ſit. *lege :* fit.
53. - 18. appartus. *lege :* apparatus.
55. - 10. Maj. *lege :* Maji.
66. - 10. em. *lege ;* lem.
67. - 25. uibique. *lege :* ubique.
73 - 16 quean *lege :* queant.
75. - 2. quoddendiſſiſſime. *lege :* quod denſiſſi-
me.
- - 6. pantago. *lege :* plantago.
- - 12. lös *lege :* löf.
- 19. quie *l.* qui e.
- - 27. H. Fl. elv. *l.* Fl. Helv.
76 - 15. Su, b. *l.* ſub.
- - 16. aſt. *l.* eſt.
77. - 6. tamene *l.* tamen e.
- - 7. deſtitui. *l.* deſtituti.
79 - 22 favere *l.* facere.
- - 30 vratiolav. *l.* Vratislav.
8. - 6. par *l.* par-
- - 20. callente *l.* calente.

Index

Index Plantarum.

Numerus, paginam deſignat.

A.

Abſinthium. 7.
Achillea. 48.
Acroſticum. 60.
Aliſma. 67.
Allium. 18. 20. 21.
Aloë. 14.
Alſine. 7. 60.
Anagallis. 1.
Anchuſa. 5.
Androſace. 83.
Anthericum. 22.
Antirrhinum. 64.
Apium. 14. 30. 67.
Arenaria. 29.
Aſter. 67.
Aſterocephalus. 4.

B.

Betonica. 23. 62. 63.
Bidens. 44. 67.
Biſtorta. 10.
Bryum. 58.
Bugloſſum. 60.
Butomus. 46. 67.

C.

Campanula. 7. 8. 84.
Cakile. 33. 34.
Carduus. 42. 49.
Caryophyllus. 61. 62. 63.
Centaurium. 10. 11.
Cepa. 18.
Chamæleon. 42.
Chondrillis affinis. 40.
Cichoreum. 41.
Cirſium. 27. 42.
Cnicus. 46.
Conferva 67.
Conſolida. 45.
Conyza. 45.
Coreopſis bidentis. 49.

D.

Damaſonium. 54.
Daucus. 13.
Dianthus. 61. 62. 63.
Digitalis. 10.

E.

Echium 60.
Elichryſum. 44.
Erigeron. 67.
Eruca. 32. 33. 34.
Eupatorium cannab. 49.

G.

Gallium. 4. 67.

Ga-

Garyophylli. 61. 63.
Gentiana. 11.
Gnaphalium. 44.

H.

Helleborine. 55.
Hieracioides. 40.
Hieracium. 39. 40.
Holoſt. Caryophyll. 7.
Hydrocotyle. 14. 67.
Hypnum. 57. 58.
Hypochoeris. 39.

J.

Jacobæa. 45. 67.
Jungermannia. 58.

L.

Lathyrus. 35.
Leontodon. 39.
Lepidium. 14.
LinumCath. 67.
Lichen. 58. 59. 60.
Lithospermum. 5. 60.
Lotus. 38.
Lyſimachia. 67.
Lythrum. 67.

M.

Mentha. 67.
Millefolium. 48.
Muſcus. 57. 58.
Myoſotis. 59. 67.
Myriophyllum. 14. 67.

O.

Oenanthe. 14. 64.
Orchis. 50. 52. 54.
Orobanche. 7.

P.

Palmata. 52.
Paronychia. 60.
Pedicularis. 31.
Perſicaria. 67.
Peplis. 67.
Phalangium. 22.
Phellandrium. 14. 67.
Picris. 41.
Porrum. 21.
Primula. 60.
Pſeudoſtachys. 64.
Ptarmica. 38.

R.

Ranunculus. 30. 67.
Raphanus. 33.

S.

Sagittaria. 67.
Saponaria. 24. 25.
Satyrium. 54.
Saxifraga. 25. 60.
Scabioſa. 3.
Scorzonera. 27.
Senecio. 44. 46.
Serapias. 54.

Si-

Siſymbrium. 31. 32.
Sium. 14. 15. 16. 17. 67.
Spargan. 67.
Stratiotes 67.
Stœchas. 44.
Stachys. 64.
Subularia. 67.
Symphyt. Petr. 84.

T.

Tridactylites. 60.
Triglochin. 6.
Tripolium. 30.
Tunica. 23. 62.

V.

Vaccinium 22.
Valerianella. 7.
Verbaſcum. 8. 9.
Veronica. 1. 2. 59. 67.
Vicia. 36.
Vitis Idæa. 22.

Index locorum, circa quæ recenſitæ naſcuntur plantæ.

A.

Ællinge. 12.
Andrarum. 21.
Annelöf. 62.

B.

Baalsberg. 60.
Blentarp. 53.
Bulstofta. 10.

C.

Canonica prata. 46.
Chriſtianſtadium. 3. 14. 17. 46. 48. 84. 67.

D.

Dahlby. 24. 52.
Duſeke. 9. 36. 48.

E.

Everlöf. 60.

F.

Fielige. 11. 12. 45.
Fogleſâng. 3. 8. 20. 39. 43. 49. 52.

G.

Giersnäs. 2.
Giret. 60.
Glumslöf. 84.

H.

Hæddinge Kyrkia. 24.
Hafgârd. 54. 55.
Hallandsâhs. 22. 58.
Haſſlemölla. 38.
Hâslöf. 31.
Heckeberga. 39. 40.
Hedenſea. 7.
Helge â. 17. 46.
Hörby. 50.

M Hwit-

Hvitſkiöfle. 84.

I.

Iſternæſet. 3. 17.
Julared. 44.

K.

Klâgerup. 57.
Kongakiärr. 22.

L.

Landscrona. 30.
Löddeſtröm. 25.
Lundinum. 12. 25. 31. 33. 52.
Lyngby. 84. 85.

M.

Malmogia. 33.

O.

Oertofta. 12. 31. 33.
Onslunda. 42.
Osbyholm. 50.

P.

Piſſeka bæck 58.
Pâhlſkiöp. 83.

R.

Râbelöf. 58. 60. 61.
Reften. 54.
Roslätt. (lilla). 4.
Rönneberga hœgar. 62.
Rörum (ſödra) 64.
Röſiöholm. 22. 58. 59.

S.

Sallerup (öſtra) 10. 41.
Sandby. 44.
Siöbo. 24.
Skaberſiögârd. 29. 41.
Skarhult. 63.
Snareſtad. 54.
Sölfakra. 85.
Sperlingsholm. 85.

T.

Thorn. 63.
Togarp. 62.
Torringelund. 58.
Torup. 52. 59.
Tranâhs. 13. 50.
Tunbyholm. 13. 50.

W.

Wadmöllan. 25. 49.
Wæ. 22.
Wallkierra. 44.
Waſaholm. 57. 85.
Widarp. 33.
Wramm. 5. 22. 48. 84.

)o(